Herrn Prof. Johannes Vahlen
hochachtungsvoll
d. Verfasser.

DE

SUBDITO QUI INTER LUCIANEOS LEGI SOLET DIALOGO TOXARIDE.

SCRIPSIT

ISIDORUS GUTTENTAG.

BEROLINI
TYPIS ET IMPENSIS GEORGII REIMERI.
1860.

DE

SUBDITO QUI INTER LUCIANEOS LEGI SOLET DIALOGO TOXARIDE.

SCRIPSIT

ISIDORUS GUTTENTAG.

BEROLINI
TYPIS ET IMPENSIS GEORGII REIMERI.
1860.

AUGUSTO BOECKHIO,
MAURICIO HAUPTIO
PRAECEPTORIBUS DILECTISSIMIS

D. D. D.

I. GUTTENTAG.

Toxarim dialogum, qui inter Lucianeos legi solet, Bekkerus in subditicios retulit, et consensu philosophorum ordinis proposuit, ut investigaretur, primum aut abs quo aut certe tamen quando scriptus esset, deinde quae de Scythis praesertim Bosporanis inaudita et singularia in eo tradita essent, auctoritatemne et fidem haberent. In quae ut inquirerem cum dialogum perlegissem, atque multa perscrutatus neque ullum apud scriptores documentum invenissem, ex quo quis Toxarim scripsisset cognoscerem, neque ex eis, quae in dialogo narrantur, investigare potuissem, quando ille fuisset, oratione examinanda aetatem scriptoris indagare conatus sum. Quod quo difficilius est, eo magis vereor, ne in ea re nonnumquam erraverim, et haec diffidentia augetur, quod multo doctiores atque sagaciores viros in simili quaestione falsos esse vidi, et quod, cum non omnia ipse perscrutari possem, saepe auctoritatem eorum sequi cogebar, qui vocabula Graeca in thesauros contulerunt. Sed etiam si multi in opere, quod instituo, errores insint, spero tamen fore, ut ex eis, quae recte exposita sint, pateat, Toxarim dialogum a Luciano non esse scriptum: quodque secundo loco propositum est, ut de auctoritate et fide investigaretur eorum, quae in Toxaride tradita essent, ficta ea et commenticia esse obtinebo.

Non alienum autem ab instituto meo est, primum de dispositione atque argumento dialogi dicere. Inducuntur igitur Toxaris Scythes et Mnesippus Graecus inceptum sermonem persequentes, ut apparet ex eo, quod Mnesippus admiratus quaerit: „quid dicis? sacra facitis Oresti et Pyladi ...“, tamquam si mentio eius rei iam a Toxaride facta sit; qua in urbe colloquantur, non significatur. Postquam autem Toxaris exposuit, cur et quomodo Orestes

et Pylades, illud par nobile amicorum, a Scythis coleretur et Graecos vituperavit, quod verba de amicitia optime facerent, re et veritate viles amici cognoscerentur, Mnesippo proponit, ut amicorum sui temporis aequalium quinque paria uterque proferat, se si inferiores produxerit, dextram sibi amputari passurum. Hanc certe sententiam scriptorem verbis Toxaridis subici velle ex responso Mnesippi et ex eis, quae capite XXXV et LXII dicuntur, apparet, re vera ea non subest. Sunt enim haec Scythae verba [c. X extr.]: *ὁπότερος ἂν ἐν τούτοις (τοῖς τῶν φίλων ἔργοις) κρατῇ καὶ ἀμείνους παράσχηται τοὺς φίλους, αὐτός τε νενικηκὼς ἔσται καὶ τὴν αὑτοῦ ἀνακηρύξει, κάλλιστον ἀγῶνα καὶ σεμνότατον ἀγωνισάμενος, ὡς ἔγωγε πολὺ ἥδιον ἂν μοι δοκῶ μονομαχῶν ἡττηθεὶς ἀποτμηθῆναι τὴν δεξιάν, ὅπερ τῆς Σκυθικῆς ἐπιτίμιόν ἐστιν, ἢ χείρων ἄλλου κατὰ φιλίαν κεκρίσθαι,* . . . *malle* se igitur dicit, sibi certamine singulari victo dextram amputari, *quam* se in amicitia alio viliorem iudicari, se vero victum re vera id pati velle non dicit. Mirandum praeterea est, quod Mnesippus *μονομαχεῖν* voce, quae de eis tantum usurpatur, qui in singulari pugna armis contendunt, propositum de amicis utriusque gentis certamen significari intellegit, praesertim cum id ne ex his quidem, quae sequuntur, *ὡς ἔγωγε . . . ἢ χείρων ἄλλου κατὰ φιλίαν κεκρίσθαι,* quae cum antecedentibus prave coniuncta sunt, perspici possit. Non enim de ea re disceptatur, *uter eorum* amicus praestantior sit, sed utrum Scythae amicitia praestent, an Graeci; Toxarim igitur, qui Scythas multo excellere fortiter contendit, ita pergere oportuit, ut, malle se in pugna singulari vinci et dextra privari, quam in hoc de amicis certamine superari, diceret, aut simile aliquid.

Sed non minus sagax Toxaris, eam, quam scriptor dialogi vult, sententiam Mnesippi verbis subesse intellegit, quamquam is prorsus alia profert. Nam hic cum se causam Graecorum non derelicturum esse dixerit, neque admissurum, ut vadimonio deserto omnes Graeci per unum Scythen causa cadant, *id* si factum sit, sibi linguam exsecari aequum fore, Toxaridi non solum condicionem, quam ipse proposuerit, accipere, sed etiam hoc dicere videtur, se si *causam Graecorum defendens* superatus sit, dignum futurum esse, qui tam atroci poena afficiatur. Sed ne hoc immani convento stare cogantur, — id neglegunt, quod maximum est, nullum

enim arbitrum certaminis deligunt. Prolatis igitur ab utroque quinque amicorum paribus nemo est, qui de victoria arbitrium agat. At cum sermone habito alter alterum dignum esse cognoverit, quem sibi amicum coniungat, ipsi certamine omisso amicitiam inter se conciliant. Quid? nonne hoc pactum tam absurdum, tam praepostere factum, tam inepte irritum fit, ut vel haec sola satis demonstrent, dialogum de amicitia non esse Luciani, qui acumine, elegantia, dicacitate excelluerit? Sed quoniam, quod sciam, eorum, qui vel de Luciano scripserunt, vel opera eius ediderunt, Bekkerus et primus et solus Toxarim dialogum subditum esse intellexit, alii vero in numerum optimorum Luciani operum eum referre non dubitaverunt, ita ut cum omnium fere saepissime, tum commentariis in usum scholarum instructus ab hominibus doctis editus sit, ad augendam scilicet puerorum in Graecis litteris scientiam et ad ingenium eorum conformandum, diutius in ingrato negotio commorari et dialogo diligenter recognoscendo probare oportet, quam puerilia et inepta narratiuncularum commenta sint, quam oratio perplexa et prava, infacetae et absurdae sententiae. Atque ita hoc me exsecuturum esse puto, ut nemo bene sanus dehinc Luciani, elegantis scriptoris, nomine Toxarim dialogum dignum existimet.

Priusquam tamen ad singula recognoscenda transeo, generatim dicendum, quibus maxime rebus Toxaridis scriptor egestatem atque pravitatem ingenii aperiat. Sunt ergo haec tria potissimum vitia eius propria: in proferendis amicorum paribus pericula, quae alter pro altero adit, ita auget, ut ea, quae narrantur, nullo pacto fieri potuisse appareat; deinde gravioribus ita adiungere levia solet, ut rerum descriptio inepta sit; tum aut, quod pessimum tautologiae, ut ita dicam, genus est, nonnumquam unum idemque et causam rei et rem ipsam ponit, aut quae quid efficiunt cum eis, quae efficiuntur, confundit.

Sic c. I. (p. 221 v. 9) Mnesippus, „quid impetrare", inquit, „ab eis (ab Oreste et Pylade) cupitis? nam benevolentiae causa eis non sacrificatis, cum mortui sint"; at nonne qui ab altero aliquid per bonam gratiam adipisci studet, benevolentiam eius sibi comparet oportet? ita ut credere quispiam queat, gratiam mortuorum conciliari posse, bona autem ab eis impetrari non posse, vecordis vero hominis sit cogitare, bona ab eis impetrari posse, gratiam conciliari non posse, quod mortui sint; melius igitur

Mnesippus dixisset, „benevolentiae causa ergo eis sacrificia facitis, nam impetrare quicquam ab eis, cum mortui sint, non potestis.“

Simile vitium inest in capite quinto (p. 222. extr.), in quo loco interpretando frustra ab hominibus doctis operam esse consumptam, quis miretur, cum concedere non sustinuerint, perverse enuntiationem *καὶ ὑπὸ Σκυθῶν τῶν ἀρίστων θεραπεύεσθαι* eis, quae antecedant, adiunctam esse? Et Iacobitius quidem *), qui de Luciano edendo bene meruit, allatis ex cap. XXI eius libelli, qui de morte Peregrini inscribitur, extremis his verbis: *ἀνοῖξαι γὰρ δεῖ μόνον τὸ στόμα καὶ αὐτίκα τεθνάναι* „ex antecedente ὡς χρή“, inquit, „cogitatione ad haec (Toxaridis) verba adde *ὡς δυνατόν ἐστιν* et videbis verba optime cohaerere“. Sed etiamsi concedatur, posse ex antecedente *ὡς χρή* ad illa verba cogitatione addi *ὡς δυνατόν ἐστιν,* quod nullo apto exemplo a Iacobitio probatum est, tamen nequaquam ea bene cohaereant. Qui enim recte dici potest: „quod autem maxime in illis admirati praedicamus, hoc est, quod nobis omnium praestantissimi amici ipsi esse, et *alios* omnes docuisse videbantur (*aliis* omnibus conditores exstitisse legum), ut (*ὡς*) cum amicis omnem fortunam communiter ferre oporteret, et ut *ab optimis Scythis* coli possent (*ὡς δυνατόν ἐστιν*)“? Exemplum autem, quod Iacobitius affert, prorsus alius generis est. Solent enim Graeci, cum aliquid factum esse *necesse est*, ut aliud effici possit, etiam hoc singulari quadam ratiocinatione necessario fieri dicere; vel etiam cum participio utuntur eius verbi, quod continet id, quod antea factum esse oportet, ut deinde aliud aliquid effici possit, solum ad hoc, quod tum demum, cum alia res gesta est, fieri potest, *δεῖ* et *χρή* verba referre videntur. Singularis haec est ratiocinatio, sed non nimis audax; nam necessitas si ad causam pertinet, etiam ad effectum interdum quodammodo pertinere potest videri. Quod fortasse magis apparebit, si hic Xenophontis locus (Anab. IV, 2, 3.) *ἦσαν ἐπὶ χαράδρᾳ, ἣν ἔδει διαβάντας πρὸς τὸ ὄρθιον ἐκβαίνειν* (quas fauces transisse eos oportebat, ut sursum ascenderent) ita vertetur: „quas fauces transire et deinde sursum ascendere oportebat.“ Simile est hoc Euripideum: *τί χρὴ τὸν ἄθλιον δράσαντάς σοι χαρίζεσθαι?* quomodo cum misero agi oportet, ut tibi gratum fiat? Eiusdem generis esse

*) Vide hunc locum in Tox. ab eo edito.

etiam exemplum a Iacobitio allatum apparet; cum enim dicendum esset: „hiare tantum oportet, ut statim moriaris", dictum est: „hiare tantum oportet et statim mori", non minus autem patet, enuntiata extremi capitis quinti ideo ita interpretari non licere, quia non ita, ut ea, quae modo explicavi, inter se cohaereant. Si quis autem enuntiationis *καὶ ὑπὸ Σκυθῶν τῶν ἀρίστων* subiectum *φίλους*, ex verbis *τοῖς φίλοις* sumptum, esse existimet, hoc neque per consuetudinem sermonis licet, neque sententiam magis rectam praebet; nam ne hoc quidem recte dici potest: „*alios* docuerunt, (ut amicis omnem fortunam communem esse oporteret), et ut amici a Scythis optime coli deberent." Quare optimum fortasse est, Iacobo assentiri, qui ita enuntiata coniungi vult: *ὅτι ἡμῖν ἔδοξαν . . . φίλοι γεγενῆσθαι, καὶ καταστῆναι . . . καὶ . . . θεραπεύεσθαι*, at statuendum quod ille non concessit, perperam haec dicta esse. Estque hoc peccatum eius generis, cuius modo exemplum legimus. Inepte enim additum est in apodosi id, quod enuntiationi, quae antecedit, optime adiungi poterat; nam dicere licebat: „quod autem maxime in illis admirati praedicamus, *quodque potissimum in causà est, cur ab optimis Scythis colantur*, hoc est, quod amicos praestantissimos se praebuerunt . . . ." Rectius igitur quam ceteri interpretes Solanus locum, de quo agitur, plane intellegi non posse iudicavit; in eo tamen erravit, quod librarii culpa mutila esse existimavit ea, quae perperam ab eo, qui librum composuit, scripta esse profitendum est.

Ut autem tertium eiusdem generis peccatum addam, ea, quae cap. III (p. 222 v. 2) leguntur, *γελοῖα γὰρ ἂν ταῦτα δόξειε καὶ ὑπεναντία τοῖς πάλαι* intolerabilia sunt, quod haec antecedunt: *εἰπέ* *), *τί ἄλλο . . . εἰργάσαντο ἀνθ᾽ ὅτου πάλαι οὐ θεοὺς εἶναι δικαιώσαντες αὐτούς, νῦν τὸ ἔμπαλιν θύσαντες αὐτοῖς θεοὺς εἶναι νενομίκατε κ. τ. λ.*; nam etiamsi verba *τοῖς πάλαι* vertas „mori pristino", ac non, quae iustior interpretatio est, „eis, quae pristino tempore Scythae faciebant", contrarium mori pristino illud dicitur, quod Scythae eis, quos antiquo tempore immolare voluerant, posteriore aetate ut deis sacrificabant, ita ut nihil aliud enuntiatione,

*) Cum enim anacoluthon vix ferendum sit, si c. III (p. 221. v. 31.) *εἴπερ* retinetur, accipio emendationem hominum doctorum, qui pro *εἴπερ εἰπὲ* scribunt, quamquam id non solum supervacaneum est, sed etiam orationem impedit.

quae antecedit, et ea, quae sequitur, dicatur, nisi hoc unum idemque: „si eos, quibus antea non sacrificavistis ut deis, nunc nullo beneficio accepto *e contrario* (τὸ ἔμπαλιν) deos esse creditis sacrificiisque colitis, — *contrarium faciatis* ei, quod antea facere solebatis.“ Accedit quod sententia, quae ex antecedentibus ad enuntiationem *γελοῖα γὰρ ἂν ταῦτα δόξειε καὶ ὑπεναντία τοῖς πάλαι* intellegenda est, (simul enim audiendum *εἰ μὴ ἀγαθόν τι ἐργάσαιντο*) ad alteram huius enuntiationis partem (*καὶ ὑπεναντία τοῖς πάλαι*) referri vix possit; nam etiamsi ridendum non esset, si beneficio accepto permoti Scythae Orestem et Pyladem ut deos coluissent, *contrarium antiquo mori* nihilo minus esset. Tum etiamsi haec omnia recte se haberent, graviori sententiae *γελοῖα γὰρ ἂν δόξειε* non satis apte adiuncta esset levior *καὶ ὑπεναντία τοῖς πάλαι.* Manifestum autem est, scriptorem hoc dicere voluisse: „nam si (nullo beneficio accepto) pristinum morem mutaveritis, atque ut deos colatis eos, quos immolare voluistis, ridiculum hoc sit“.

Porro c. VII (p. 223 vv. 27—31) gravioribus *οὐκ ἀνθρώπινα ταῦτα ᾠήθημεν εἶναι* prave subiuncta sunt leviora (*ἀλλά τινος γνώμης βελτίονος*) *ἢ κατὰ τοὺς πολλοὺς τούτους ἀνθρώπους, οἳ . . . .*; nam si Orestis et Pyladis mutua benevolentia et fides maior erat quam pro humana natura, inepte additur, eam liberalioris mentis fuisse, quam quae vulgi infidi esse soleat et eorum amicorum, *οἳ μέχρι μὲν κατ' οὖρον ὁ πλοῦς εἴη, τοῖς φίλοις ἀγανακτοῦσιν, εἰ μὴ ἐπ' ἴσης κοινωνήσουσι τῶν ἡδέων, εἰ δέ τι καὶ μικρὸν ἀντιπνεύσειεν αὐτοῖς, οἴχονται μόνους τοῖς κινδύνοις ἀπολιπόντες.*

Similiter paullo inferius c. VII (p. 223 vv. 35—37), cum iam dictum sit: „hoc enim scias, amicitia maius a Scythis nihil existimari, neque esse quicquam, in quo magis glorientur, quam si participes periculorum amicis se praebuerint; propterea Orestem et Pyladem colimus, cum praestantissimi fuerint in eis, quae bona Scytharum sunt“, denuo ad satietatem repetitur *καὶ ἐν φιλίᾳ διενεγκότας, ὃ πρῶτον ἡμεῖς ἁπάντων θαυμάζομεν.*

Deinde cap. XIII extr. (p. 226, vv. 36—37) postquam multis verbis expositum est, quanta ad iuvenes amore incendendos calliditate Chariclea fuerit, frigide additur: „et multis in amatores artibus erat instructa“ (*καὶ πολλὰ μηχανήματα παρεσκεύαστο κατὰ τῶν ἐραστῶν*).

Similiter iterum cap. XV cum copiose enarratum sit, quibus astutis artificiis Chariclea iuvenes capere et delinire scierit, inepte adiungitur *καί που καὶ ᾆσαι καὶ κιθαρίσαι·* primum quod multo leviora haec sunt, quam ea, quae antecesserunt, deinde quod dubitanter proferuntur. Hoc autem maxime apparet, si ut Iacobus fecit, verba ita reddis: „et *nisi fallor* etiam canere et psallere“ Neque iure mihi videtur Iacobitius propter hanc interpretationem in Iacobum invehi; fortius quidem *πού* particulam expressam esse non negandum, sed etiam si verba ita redduntur: „et fortasse etiam canere etc.“ inepta est oratio. Iacobitium vero Iacobo vitio dedisse, quod in scriptore dialogi reprehendere deberet, non est mirandum, cum ei persuasum esset, Toxarim dialogum pereleganter esse scriptum. — Neque in enumerandis donis, quae Dinias Charicleae largitus esse dicitur c. XV (227, 29—30), a consuetudine sua scriptor recedit, nam hic quoque maioribus adiungit minora (*ἀλλὰ συνοικίαι ὅλαι καὶ ἀγροὶ καὶ θεράπαιναι καὶ ἐσθῆτες εὐανθεῖς*).

Eiusdem prope generis vitium etiam hoc est. Narratur Dinias c. eod. (227, 25—28) cum iam Chariclea cum eo congredi desiisset, lacrimasse, nomen eius appellasse, statuam amplexum esse, humi se volutasse, quae furentis esse recte dici possunt, beneque ergo additur: „atque haec iam iusta insania erat“; at nihilominus hoc, quasi non ex eis, quae modo prolata sunt, sequatur, denuo confirmatur argumentis (227, 28—30), quae per se quidem non mediocria leviora tamen sunt quam ea, quae antecesserunt.

Quae vero cap. XIV extr. (227, 12—13) leguntur, *καί που συνηνέχθη πολλὰ ἱκετευθείς*, plane absurda esse mihi videntur. Quid enim sibi vult illud *καί που* (et fortasse)? Nonne mirandum, Mnesippum, cum ita reliqua narraverit, quasi qui omnia exacte sciret, dubitanter dicere: „et fortasse cum ea congressus est“? Atque magis etiam mirabile id fit propterea, quod in eis, quae referre pergit (*τὸ ἐντεῦθεν ἤδη ῥᾷον ....*) minime de ea re dubitare videtur. Neque haec repugnantia tollitur, si verba *καί που συνηνέχθη* obscoene accipiuntur, quin potius ea, quae extrema addita sunt *πολλὰ ἱκετευθείς* ita etiam ineptiora videntur.

Tum c. XIX (229, 22) post levia illa mala, decumanas undas et turbinem, grando, gravis navigantibus calamitas, additur; similiterque (229, 30—31) pro *πνιγόμενον καὶ μόγις ἑαυτὸν ὑπερέ-*

χοντα τοῦ κλύδωνος rectius dici videtur *μόγις ἑαυτὸν ὑπερέχοντα .... καὶ πνιγόμενον*, et pro *σφᾶς δὲ ἐπιθυμεῖν μὲν αὐτοῖς βοηθεῖν καὶ ἐλεεῖν τὴν συμφορὰν τῶν ἀνδρῶν, μὴ δύνασθαι δέ, ...*" scribendum erat *σφᾶς δ' ἐλεεῖν τὴν συμφορὰν τῶν ἀνδρῶν καὶ ἐπιθυμεῖν μὲν αὐτοῖς βοηθεῖν, μὴ δύνασθαι δέ, ...*: „se vero miseratos casum hominum voluisse quidem auxilium ferre, sed non potuisse".

Sed ut ad initium dialogi redeam atque reliqua eo ordine, quo sunt exposita, percenseam, primum in cap. I (221, 7) post *οὐ μόνον* addendum erat *θύειν*, pro *τιμῶμεν* autem *τιμᾶν* scribendum erat, aut certe hoc ex consuetudine Graeci sermonis fieri oportebat, ita ut infinitivus a substantivo, quod est *νόμος*, penderet; nam cum in praecedentibus verba *καὶ ἀνδράσι* premantur, adducitur is qui legit, ut ad verba *οὐ μόνον* ex antecedentibus voces *τοῖς ἀνδράσιν* intellegat; cf. c. XLI (240, 19), ubi similiter *οὐ μόνον — ἀλλὰ καὶ ἕκαστος* paullo durius dicta sunt.

Deinde c. II (221, 19) dicuntur Orestes et Pylades a Scythis comprehensi abduci ut immolentur, et tamen in carceris custodes invadere (*ἐπιθέμενοι τοῖς δεσμοφύλαξιν*), quasi in vinculis sint:

tum ubertas verborum c. eod. (221, 19—20) *ἐπιθέμενοι τοῖς δεσμοφύλαξι καὶ τῆς φρουρᾶς ἐπικρατήσαντες* orationi non lucem affert, sed tenebras offundit;

tum c. eod. (221, 24) verba *καὶ τοὐντεῦθεν αὐτοὶ πρὸς τὰ παλαιὰ σκοπεῖτε* vix intellegi possunt;

denique c. eod. (221, 26) haec: *ἐμοὶ μὲν γὰρ δοκεῖτε τάχιστ' ἂν οὕτως ἀσεβεῖς αὐτοὶ καὶ ἄθεοι γενέσθαι κ. τ. λ.* ineptias potius quam facetias continent.

In tertio autem capite (222, 4) verba *δύο ὄντας* perperam aut certe obscure dicta sunt; *δύο ὄντες* enim per se opponuntur uni; at non magis erat admirandum si duo in Pontum, mare incognitum sibi atque infame navigaverunt, quam si unus id facere sustinuisset. Fortasse igitur verba *δύο ὄντας* hoc loco *duos tantum* significant, neglegenterque pro *δύο μόνους* (vel *μόνον*) *ὄντας* scripta sunt.

Deinde in his, quae sequuntur (222, 7—8) *μὴ καταπλαγέντας μήτε τοὺς μύθους τοὺς ἐπ' αὐτῷ, μήτε τὴν προσηγορίαν καταδείσαντας*, cum *μὴ καταπλαγέντας* ad utramque partem adiunctam, ad *τοὺς μύθους* et ad *τὴν προσηγορίαν* referendum sit, verbum

καταδείσαντας prorsus supervacaneum est, neque alibi similem vocum compositionem me legisse memini.

Porro ea quae c. IV (222, 17—20) leguntur, *ἐπεὶ ὅσον .... πολλοὺς ἄν σοι θειοτέρους ἐκείνων ἀποδείξαιμι τοὺς ἐμπόρους καὶ μάλιστα τοὺς Φοίνικας αὐτῶν, οὐκ ἐς τὸν πόντον .... ἐσπλέοντας*, significare videntur: „Phoenices multo diviniores tibi ostendere possum non solum in Bosporum navigantes" ita ut *ἐσπλέοντας* verbum attributum sit enuntiationis, quae ab *ἀποδείξαιμι* verbo pendet, *θειοτέρους* autem appositum *Φοίνικας* vocis. Cum tamen appareat, scriptorem hoc dicere voluisse: „ostendere tibi possum Phoenices multo diviniores (esse), eos, qui (vel: utpote qui)" —, ante *οὐκ ἐς* addendus erat articulus aut *ἅτε* particula.

In his autem quae in capite VI (223, 9—15) leguntur: *πλέων Ὀρέστης ἅμα τῷ φίλῳ, εἶτα — διαφθαρείσης — τῆς νεὼς συνειλημμένος καὶ — παρεσκευασμένος, καὶ ἡ Ἰφιγένεια ἤδη κατάρχεται αὐτῶν· καταντικρὺ δὲ — ἤδη ἐκδεδυκὼς τὰ δεσμὰ γέγραπται, καὶ φονεύων — καὶ τέλος ἀποπλέοντες, ἔχοντες ....* cum perperam modo de Oreste comprehenso et immolando agatur, modo ei, ita ut Orestes et Pylades intellegantur, mactandi dicantur, addaturque, quamquam proxime de ambobus amicis sermo fuit, eum (videlicet Orestem) vinculis liberatum pictum fuisse, caedentem ...., atque statim denuo pluralis numerus participii ita usurpatur, ut ad ambos amicos referatur (*καὶ τέλος ἀποπλέοντες*), Iacobus hanc perplexam orationem „commotiori animo aptam esse" dicit. Neque negandum est, solere scriptores et poetas Graecos perturbatos homines perturbato sermone utentes facere, eiusque rei exempla Antigonae Sophocleae initium et ea, quae apud Thucydidem l. III c. 59 leguntur, maxime nota sunt. Sed est, cur commota sit Antigona, conturbati sint Plataeenses, qui finem orationis facturi mortem sibi proximam esse non ignorent *), Toxaridi vero, qui picturas describit, cur commotior sit animus non item apparet; deinde Antigonae et Plataeensium verbis, scita arte confusis, animi eorum, qui legunt, vehementius permoventur, Toxaridis vero perplexa oratione nihil aliud efficitur, nisi ut eius rei,

---

*) *ὅπερ δὲ ἀναγκαῖόν τε καὶ χαλεπώτατον τοῖς ὧδε ἔχουσι, λόγου τελευτᾶν, διότι καὶ τοῦ βίου ὁ κίνδυνος ἐγγὺς μετ' αὐτοῦ, παυόμενοι λέγομεν ἤδη ....*

quam describit, imaginem animo concipere non possimus. Itaque si consilio, ut Iacobo videtur, incomposita oratione scriptor usus est, pravum erat consilium; verisimilius tamen est, plus neglegentiae quam artis in Toxaridis verbis inesse.

De ceteris vero ineptiis, quae in pictura describenda insunt, disserere supervacaneum est. Nam qui ipse non videt c. VI (223, 17—24) haec: *οἱ δὲ καὶ δέει τούτου ἀπονήχονται πρὸς τὴν γῆν* et (*πεποίηκε γὰρ ὁ γραφεὺς*) *ἑκάτερον* (*ἀμυνόμενον — θατέρῳ καὶ*) *πρὸ ἐκείνου ἀπαντᾶν πειρώμενον τοῖς τοξεύμασι — καὶ τὴν ἐπ᾽ ἐκεῖνον φερομένην πληγὴν προαρπάσας τῷ ἑαυτῷ σώματι*, pingi non posse, atque picta fuisse inepte narrari, ei hoc persuadere frustra coner. Atque mihi quidem minime dubium est, quin ea, quae hic pessime effinguntur, et ea, quae in Aëtione c. V. (part. I. p. 11—12) pulcherrime enarrantur, non possint ab uno eodemque scripta esse.

Deinde male initio capitis VIII (224, 3—5) *ἦσαν* dictum est. Numquam enim imperfectum pro tempore praesenti usurpatur, sed ubique vim suam retinet; hic autem ex eo, quod Mnesippo, cum antea aliter de Oreste et Pylade a Scythis cultis iudicasset, persuasum est, recte eos facere, si quid generatim consequitur, hoc tantum concludi potest, e s s e Scythas M n e s i p p o a e q u a l e s in persuadendo sollertes. Potuit quidem scribi *ῥῆσιν ἄρα εἰπεῖν πιθανώτατος ἦσθα*, ut sententia esset: „tum, cum dicebas te sollertem praebebas“, hoc vero: „Scythae ad persuadendum callidi erant, cum loquebaris“ prave dictum est.

Extremo autem capite VIII (224, 13) *τεκμαιρόμενος* participium propter enuntiationes, quae interpositae sunt, non sine magna orationis asperitate coniungitur cum verbis *πλὴν ἀλλ᾽ οὐκ ᾠήθην ἂν οὕτω ποτέ*. Nimis dure etiam participium usurpatur c. XLIX (237, 39) *καὶ — ὑβρίζοντες*.

Quae vero initio capitis IX (224, 15—16) leguntur cum plane absurda sint, ne ea quoque, quae fortasse a librariis peccata sunt, scriptori vitio vertere videar, libenter Bekkeri emendationem accipio. Neque haec in orationis obscuritatem transferenda culpa esse videtur, quod Iacobus, cum non intellexerit, verborum (224, 18) *φιλίας λόγος πλείων παρ᾽ ἡμῖν* sententiam esse: „amicitiae cura maior apud nos est“, „amicitia magis apud nos colitur“, (credo quia statim infra in verbis *τοὺς περὶ φιλίας λόγους, λόγοι*

orationes significant) mira quaedam in his verbis interpretandis protulit. Illud tamen mihi vituperandum videtur, quod quid in enuntiatione: *οἴχονται ὑμῖν ἐκποδὼν ἀποπτάμενοι αἱ πολλαὶ ἐκεῖναι τραγῳδίαι, τοῖς κενοῖς .... ἀπολιποῦσαι, τραγῳδίαι* verbum valeat, non satis perspicuum est. Nam ea, quae antecedunt: *καὶ ὁπόταν ὑμῖν οἱ τραγῳδοὶ τὰς τοιαύτας φιλίας ἐπὶ τὴν σκηνὴν ἀναβιβάσαντες δεικνύωσιν*, adducunt ad credendum, tragoedias, in quibus de amicitia agatur, significari, praesertim cum *αἱ πολλαὶ ἐκεῖναι* voci quae est *τραγῳδίαι*, adiunctum sit quae autem sequuntur: *τοῖς κενοῖς καὶ κωφοῖς προσωπείοις ἐοικότας ὑμᾶς ἀπολιποῦσαι, ἃ διῃρμένα τὸ στόμα .... οὐδὲ τὸ σμικρότατον φθέγγεται*, ad hanc vocis significationem non quadrant, sed ad eam, quam Latinorum quoque vocabulum quod est tragoediae habet, id est, ad magnificas orationes, quae dici possunt in ore Graecorum esse, avolare tamen, cum officia praestanda sint, similes eos (Graecos) vanis et mutis personis relinquentes, quae ore hiante ne minimam quidem vocem emittant. Uni igitur eidemque vocabulo alia vis subicienda videtur, si antecedentia respicis, alia si sequentia attendis.

Deinde c. X tota verborum comprehensio dura est, sive *καὶ* coniunctionem post *Ἑλληνικὰ* (225, 6) retines, sive cum Bekkero omittis.

In extremo autem cap. eod. (225, 10) homines docti, cum eis verba *ὅπερ τῆς Σκυθικῆς ἐπιτίμιόν ἐστιν* offensioni fuissent, *ἥττης Σκυθικῆς* scribendum esse coniecerunt; sed quamquam non negandum id, quod in libris scriptum exstat, *ὅπερ τῆς Σκυθικῆς* (videlicet *γῆς*) *ἐπιτίμιόν ἐστιν*, minus subtile esse, tamen non tam perperam dicitur, dextram amputari fuisse poenam Scythicae terrae, quam dextram amputari fuisse poenam, ut ad verbum Graeca exprimam, *causae Scythicae perditae*. Hanc enim vim ab hominibus doctis verbis *ἥττης Σκυθικῆς* subiectam esse credo, quia dextram amputari fuisse poenam *Scythicae cladis* nullo pacto dici potest.

Denique ea quae c. XI (225, 16—20) leguntur: *καὶ γὰρ ἂν εἴη πάνδεινον ὑπὸ δυοῖν μὲν ἐκείνοιν ...., ... ἁλῶναι*, lepida visa esse scriptori apparet, re vera autem inepta sunt. Ego certe non video, quae facetiae insint in verbis: „horribile enim sit, si, cum a duobus illis tot Scythae victi sint (pugnantes videlicet),

quot et fabulae et picturae indicant, omnes a te Graeci tot gentes totque urbes causa a me deserta vincantur“ (in certamine videlicet, quod Toxaris et Mnesippus instituturi sunt). Profecto non hi sunt sales, quibus et apud aequales et apud posteros tantam nominis famam Lucianus adeptus est.

Ut vero iam de singulis amicorum paribus dicere aggrediar, omnibus narratiunculis commune hoc inest vitium, quod amicorum alter omnia in eum collata beneficia iners accipit, nullum ipse alteri officium praestat, neque quicquam agit, quo se dignum amicitia praebeat. Ita [c. XII (226, 12—20)] Agathocles, quamquam a Dinia initio non pluris quam adulatores eius factus, tum etiam eis posthabitus et neglectus esset, tamen dicitur patrimonium suum ei obtulisse, ut is — adulterare posset. Deinde Dinia condemnato atque in insulam deportato ipse exsilium communiter cum eo fert, atque operam suam urinatoribus (πορφυρεῦσι) collocat gravesque suscipit labores, cum is cuius causa omnia perfert, desers et segnis se ab amico ali patitur. Quin etiam Dinia mortuo Agathocles in insula deserta miseram vitam degit, quia ne sepulcrum quidem amici relinquere sustinet.

Huiuscine narrationis argumentum verum sit, nec ne, diiudicari testimoniis veterum non potest; nam neque traditum quicquam est de Dinia et Agathocle, neque putaverim de privatis hominibus nulla re excellentibus quicquam traditum esse posse. Hanc autem ob causam etiam e contrario ex eo, quod nulla exstant testimonia veterum, concludi non potest, vel eos numquam fuisse, vel non esse vera ea, quae de eis narrentur. Neque ex hac re sola, quod singularia, mira, absurda sunt ea, quae de eis referuntur, colligere licet, ficta ea esse, nam nonnumquam inepti homines magis paene mira atque stulta faciunt, quam quae excogitari possunt. Sed quoniam plurima, quae exornandi causa et, ut gravitas rei augeatur, produntur, commenticia esse patet, et quod nonnullas dialogi narrationes totas non esse veras vel per se apparet, vel facile demonstrari potest (ut secunda et prima Toxaridis narratiuncula et quinta Mnesippi nullo pacto verae esse possunt), nulla est causa cur existimemus, argumenta nonnullarum narrationum non esse ficta, quod eiusmodi sunt, ut demonstrari non possit, ea commenticia esse.

Hoc vero loco hoc potissimum examinandum est, credine possit, virum ingenii acuti elegantisque iudicii, cum duos homines

de eo certantes, utrius populus in amicitia antecelleret, et praestantes popularium suorum amicos producentes faceret, tales aut ficturum, aut si umquam fuissent, electurum fuisse, quales Dinias et Agathocles sunt. Nam etiamsi quis neget verum esse, quod philosophi disserant, virtute maxime homines allici ad diligendum, ita ut etiam inter malos non malitia sed significatione quadam probitatis benevolentia exoriatur, aliquam tamen causam concedat esse oportere, cur quis diligatur. In Dinia vero quid inest, cur ametur ab Agathocle? Profecto nihil. Agathocles vero non ideo solum, quod hominem amicitia indignum diligit, stultus potius atque imbecillus, quam verus amicus appellandus est, sed omnibus in rebus se singularem atque praeposterum hominem praebet. Particeps est enim comissationum, cum nequaquam hac voluptate oblectetur, Diniam vituperat, quod rem familiarem profundat, et tamen, cum is consumptis patriis bonis ad eum confugiat, ne conatur quidem amicum ad sanitatem reducere, sed ut is adulterare possit, ipse domum a patre relictam vendit *) patrimoniumque suum perdit: qua in re etiam magis quam Dinias videtur esse reprehendendus; is enim libidine ita flagrat, ut consuetudine Charicleae privatus ne vivere quidem velit, atque cupiditate occaecatus est, Agathocles vero, qui integra est mente, si nulla conscientia, prudentia saltem retineri·debet, quominus amico morigeretur. Praevidere enim potest fore, ut etiam si omnia bene processerint, amicus etiam ipsius re familiari dissipata denuo in miseriam incidat.

In singulis autem enarrandis multa peccata sunt. Primum c. XII (226, 15) Dinias dicitur Agathoclem non pluris fecisse quam ceteros adulatores, huic tamen rei repugnat hoc, quod postea (226, 19—20) additur *μόνος μετ' ἐκείνων ἐκώμαζε λανθάνειν πειρώμενος τὸν Ἀγαθοκλέα.*

Tum etiam hoc inepte fictum est, quod parasiti id studuisse narrantur, ut amore Charicleae Dinias incenderetur. Nam cum eorum interesset, ut ipsi quam maximas ab eo praedas facerent, stulte agebant, si sociam lucri ultro quaerebant. Quanto igitur rectius Alciphro (l. III ep. 50.) Bucopnicten adulatorem facit que-

*) Non recte is, qui illis temporibus domum trium talentum pretio possidebat, dici videtur c. XII (226, 7 — 8) *οὐδὲν Σαμίων τῶν πολλῶν ἀμείνων ἐς τὴν περιουσίαν.*

rentem, amore captum esse Philebum, cuius parasitus sit; fore enim, ut in amicam omnia conferantur, ipse neglegatur.

Neque hoc laudandum est, quod cum id agendum sit, ut demonstretur, quam praesentem amicum Agathocles se praestiterit, non solum nimis late et diffuse narratur, quibus artificiis Chariclea ad capiendos iuvenes excelluerit, et quomodo Diniam sibi devinxerit, sed etiam incomposite eadem repetuntur. Cum enim iam commemoratum sit c. XIII (226, 23—25), Charicleam Diniae, ut eum amore incenderet, litteras coronasque aliasque res misisse, libidine eius descripta additur (226, 31) *καὶ δέος οὐδὲν ἦν, μή τι ἀντείποι Χαρίκλεια*, quasi ea nondum ab adulatoribus in societatem consiliorum assumpta sit, atque ita etiam perscriptis eius artibus pergitur verbis c. XIV (226, 37—38) *ταύτην οὖν .... παραλαμβάνουσιν·* deinde cum proditum sit, multos iam iuvenes a Chariclea perditos esse, denuo primum universe ostenditur, quomodo etiam Diniam pessumdederit, tum tota narratio ab initio repetitur his verbis: *τὸ μὲν γὰρ πρῶτον εὐθὺς ἐκεῖνα ἐπ᾽ αὐτὸν καθίει τὰ γραμματεῖα.*

Similiter postquam relatum est, Charicleam omni modo Diniae amorem suum significasse additumque est c. XIII (226, 27), hac amoris significatione maxime incendi iuvenes, qui pulchri esse sibi videantur (dicere autem scriptor vult, ut apparet ex cap. XIV extr. (227, 11—12), quia hac amoris significatione adducantur, ut credant se pulchros esse atque dignos, qui amentur *), ita hoc prudenter dixisse sibi videtur, ut usque ad satietatem id repetat; non enim solum extr. c. XIV dicitur Chariclea omnia experta esse, dum adduceret iuvenem, ut crederet pulchrum se esse (*ἕως δὴ ὁ μακάριος ἐπείσθη καλὸς εἶναι*), sed etiam c. XVI (228, 8) haec sententia paullo aliter conformata denuo usurpatur. Est autem hoc tenuis ingenii, si quid lepide dictum videtur, id bis terque repetere.

Tum, nam ne hoc quidem, quamvis leve sit, omittendum est, quia etiam ex eo neglegentia scriptoris perspicitur, id offensionem habet, quod c. XV med. (227, 22) dicitur Chariclea non iam frequentasse domum Diniae (*καὶ οὐκέτι ἐφοίτα πρὸς αὐτὸν*, cum ea, quae c. XVI (228, 9—10) *μέμψις, ὅτι μὴ πολλοῦ*

---

*) Quid huic rei veri insit, optime censeo intellegi posse ex fabula Shakespearii, quae inscribitur: Much ado about nothing.

χρόνου ἀφίκετο, atque c. XVII proferuntur, clare indicent, Diniam in Charicleae domum ire solitum fuisse.

Deinde ea, quae cap. XVII (228, 17—20) leguntur: *αὐτόν τε ἀποκτείνει τὸν Δημώνακτα, πατάξας εἰς τὸν κρόταφον, καὶ τὴν Χαρίκλειαν, οὐ μιᾷ πληγῇ ταύτην, ἀλλὰ καὶ τῷ μοχλῷ πολλάκις, ...* satis perplexa sunt. Apparet enim ad *Χαρίκλειαν* et ad *οὐ μιᾷ πληγῇ ταύτην* pertinere verbum, quod est *ἀποκτείνει,* atqui id si ad *οὐ μιᾷ πληγῇ ταύτην* refertur, efficitur sententia: „non una plaga Charicleam *interficit, sed etiam sera saepe* et gladio Demonactis postea."

Caede autem facta Dinias se ad Agathoclem confert; credas eos deliberaturos, quomodo Dinias se aut occulat, aut fuga poenae subtrahat, et consilia sua statim exsecuturos. Sedent isti a vespere usque ad primam lucem (228, 24—26 *καὶ τὸ μέχρι τῆς ἕω .... σκοποῦντες*), quae facta erant animo volutantes reputantesque secum, quae eventura sint: ad ea perficienda, credo, eis tota nocte opus non erat.

Denique ad haec, quae c. XVII (228, 24—25) scripta sunt: *καὶ τὸ μέχρι τῆς ἕω παρὰ τῷ Ἀγαθοκλεῖ διέτριβεν ἀναλογιζόμενοι,* interpretanda non recte illa, quae in Alexandro (sive Pseudomanti) leguntur: *Κοινωνήσας Βυζαντίῳ τινὶ χορογράφῳ τῶν καθιέντων ἐς τοὺς ἀγῶνας πολὺ καταρατοτέρῳ τὴν φύσιν (κοκκωνᾶς δέ, οἶμαι, ἐπεκαλεῖτο) περιῄεσαν γοητεύοντες ...* ab hominibus doctis allata sunt. Atque ego, cum per se pateat, quantum loci inter se distent, hoc tantum commemoro: cum quis coniunctus cum aliquo aliquid fecerit, facile apparere atque etiam dici posse, ambos id fecisse (cf. Thuc. III, 109 med. *κρύφα δὲ Δημοσθένης μετὰ τῶν συστρατηγῶν Ἀκαρνάνων σπένδονται Μαντινεῦσιν*); cum vero quis apud aliquem commoratus aliquid fecerit, ex hoc non sequi, ut ambo id fecerint. Itaque mihi non rectius dici videtur: *παρὰ τῷ Ἀγαθοκλεῖ διέτριβεν, ἀναλογίζομενοι,* quam *παρὰ τῷ Ἀγαθοκλεῖ ἀναλογιζόμενοι διέτριβεν.*

Commode hoc loco addi puto alia vel dura vel neglegenter scripta, ut ea, quae c. XLI extr. (238, 27—28) leguntur *ἀλλὰ τυφλώσας καὶ αὐτὸς ἑαυτόν, ἀμφότεροι κάθηνται;* et ea quae c. LVI (244, 24—25) scripta sunt: *καὶ ἵλεως μὲν ὁ ἀκινάκης καὶ ὁ ἄνεμος εἶεν.*

Deinde cap. XXXVIII (237, 15—17) haec perverse dicta sunt:

ὁπόταν τοίνυν τὸν ἄνεμον καὶ τὸν ἀκινάκην ὀμνύωμεν, ταῦτα ὀμνύομεν ὡς τὸν μὲν ἄνεμον ζωῆς αἴτιον ὄντα, τὸν ἀκινάκην δέ, ὅτι ἀποθνήσκειν ποιεῖ. Ὡς enim particula, quae causam significat, etiam ad *τὸν ἄνεμον δὲ* referenda est, atque ita duabus haec verba coniunctionibus causalibus cum antecedentibus conectuntur, et ad verbum translata hanc praebent sententiam: „(id iuramus), quod ventus quidem vitae fons atque causa est, acinaces vero, quia mortem affert“, vel ut pravam vocum compositionem magis dilucide exprimam; „quod ventus vitae fons atque causa est, quodque acinaces, quia mortem affert.“ Scribi ergo debebat vel: *ταῦτα ὀμνύομεν ὡς τὸν ἄνεμον ζωῆς αἴτιον ὄντα, καὶ ὅτι ὁ ἀκινάκης ἀποθνήσκειν ποιεῖ,* vel *τὸν μὲν ἄνεμον ὀμνύομεν, ὡς ζωῆς αἴτιον ὄντα, τὸν δὲ ἀκινάκην ὅτι ἀποθνήσκειν ποιεῖ,* ut scriptum similiter est a Luciano Satur. c. XXXVI (I, 437, 22—23) *καὶ αἰτιωμένων τήν τε εἱμαρμένην ὡς ἄνισον τὴν νομὴν πεποιημένην, καὶ ἡμᾶς ὅτι μηδενὸς αὐτοῖς μεταδιδόναι ἀξιοῦμεν.*

Neglegenter haec quoque dicta sunt c. LXII, in. (246, 38—247, 1): *ἤδη δὲ καιρὸς εἴη κεκρίσθαι, ὁπότερον ἡμῶν ἢ τὴν γλῶσσαν ἢ τὴν δεξιὰν ἀποτετμῆσθαι δέοι:* „iam vero igitur tempus est“, inquit Toxaris, „diiudicandi, uter nostrum aut dextra aut lingua privari debeat“, cum dicendum sit: „utrum tibi lingua exsecari, an mihi dextra amputari debeat“ (*πότερον σὲ τὴν γλῶσσαν ἢ ἐμὲ τὴν δεξιὰν ἀποτετμῆσθαι δέοι*), vel per syllepsim, ut hoc nomine utor: *πότερον σὲ ἢ ἐμὲ τὴν γλῶσσαν ἢ τὴν δεξιὰν ἀποτετμῆσθαι δέοι.*

Multo vero magis offendit *ἣ δὲ* pronomen, quod c. LXI (246, 28) legitur. Solent enim scriptores Attici pronomine, quod est *ὃ δέ*, non praecedente *ὃ μὲν* pronomine, enuntiationem ita adiungere, ut enuntiationis adiunctae subiectum, quod est hoc ipsum pronomen, diversum sit a subiecto antecedentis enuntiati. Atque ab hac sermonis consuetudine perraro et ita solum receditur, si nulla orationis obscuritas exsistit; ut a Xenophonte factum est (Anab. IV, 2, 5—6), qui cum haec scripserit: *καὶ τοὺς μὲν ἀποκτείναντες τοὺς δὲ καταδιώξαντες αὐτοὶ ἐνταῦθα ἔμενον ὡς κατέχοντες τὸ ἄκρον. οἱ δέ οὐ κατεῖχον, ἀλλὰ . . .*, nemini dubium esse potest, quin sententia sit: „ibi manebant summum montem a se occupatum esse arbitrati; sed non occupaverant.“ Quae autem in Toxaride scripta sunt *ἡ γυνὴ δὲ φέρουσα τὸ βρέφος*

εἵπετο, ἀκολουθεῖν κελεύσασα καὶ τὴν κόρην, ἡ δὲ ἡμίφλεκτος ... qui legit, propterea quod κόρην vocem ἡ δὲ pronomen proxime sequitur, aliter intellegere non potest, quam si verbis ἡ δὲ ἡμίφλεκτος ... puella, Abauchae filia, significetur, et tantum ex eis quae sequuntur (ἀφεῖσα τὸ παιδίον) perspicit, ἡ δὲ pronomine coniugem Abauchae significari, sed simul etiam orationem perperam conformatam esse videt. — Tum etiam c. XXII (230, 35) ἐν τοσούτῳ satis dure dictum est, cum nulla diserta temporis significatio antecedat, ad quam referatur; multo vero maiorem offensionem habent οὐδὲν τοιοῦτον c. XXIX (233,27), αὐτὸ c. XXXV (236, 17), τινὰ τοιοῦτον c. XLII (238, 3), cum nihil praecedat, ad quod pertineant; deinde αὐτοῖς c. LVI in. (244, 26) dure ad μύθοις ὅμοια refertur, cum interposita sint verba ὁ ἀκινάκης καὶ ὁ ἄνεμος.

Sed ut ad priora redeam, non elegantis sed inflatae orationis sunt haec, quae c. XVIII (228, 35) leguntur: καταδικάσας αὐτὸς αὑτοῦ διέτριβεν ἐν Γυάρῳ (*ipse se condemnans* Gyari commorabatur), neque possunt ab eo scripta esse, qui tumidum eiusmodi sermonem in „Rhetorum praeceptore“ et in libro de conscribenda historia vehementer vituperat atque acerbe deridet.

Deinde mirum est, Agathoclem, cum operam suam egentibus *) urinatoribus collocasset (228, 37 — 229, 1), tantam pecuniam meruisse, ut et se et amicum alere posset, praesertim eo tempore, quo eum aegrotum curaret. Magis autem mirandum, quod omnino illum urinantium quaestum facere potuit; sed ut nostrarum fabularum Romanensium homines nihil ille videtur facere non potuisse.

Dinia autem mortuo etiam sepulcrum eius relinquere *puduit* Agathoclem; atque id maxime praedicandum esse videtur Toxaridis scriptori, quod a Luciani ingenio prorsus abhorret. Et hoc quidem facillime ex libro, qui de luctu inscribitur, probari posset, nisi hunc quoque librum non esse Luciani nonnulli homines docti contenderent. Sed etiam ex eo, quod is, quae de mortuis credebantur a Graecis, ea acerbis facetiis irridet, hoc satis apparet. Atque diligenter legant ei, quibus hoc non persuasum est, dialogos

---

*) Cf. Strab. l. X c. 5 § 3 p. 485 (ed. Kramer. II p. 417 v. 10 — 20). De Gyaro insula cf. Tacit. Ann. III, 69: insulam Gyarum immitem et sine cultu hominum esse; (Tiberii haec verba, qui ne Serenum quidem Gyarum deportari voluit dicens: egenam aquae insulam esse dandosque vitae usus, cui vita concederetur Ann. IV, 30 in.)

mortuorum, praesertim dialogum XXIV, in quo Mausoli monumentum deridetur atque cap. XXII Charontis, in quo sepulcrorum caerimoniae et supervacui honores exagitantur, legant Menippum, Cataplum, intellegent, mollitiam animi, quae in Agathocle fuisse fingatur, eam esse, quae a Luciano irrideri debuerit. Quantopere autem hoc invento suo Toxaridis scriptor delectatus sit, ipse significavit. Cum enim nonnullas narrationes Toxaris cavilletur, ea, quae Agathocles Diniae praestitit, maxime eum movent; ita ut Graecis invidens dicat: „O utinam nullo interposito iureiurando haec retulisses, ut ea non credere possem; adeo mihi Scythis parem amicum Agathoclem produxisti."

Pudore igitur Agathocles prohibetur, quominus amici sepulcrum relinquat; at cuius eum puduit? sui scilicet ipsius et scriptoris, nam insipientium tantum pudore retineri homines possunt, quominus sapienter agant.

Quae vero de Euthydico et Damone, altero amicorum pari, referuntur cc. XIX et XX (pp. 229 et 230) tam inepte ficta sunt, ut non modo eos, qui umquam res maritimas scire curaverint, sed ne puerulos quidem, qui ullam cursus maritimi descriptionem legerint, id fugere possit. Iure igitur mireris, non iam ex hac sola narratione homines doctos suspicatos esse, Toxarim dialogum non esse a Luciano compositum. Sed eam persequamur. Amicorum ex Italia in Graeciam navigantium alter, Damo, pallidus et imbecillus est, ita ut ex longinquo morbo modo recreatus esse videatur; et id quidem hoc consilio dictum esse apparet, ut non sit mirum, cur tempestate coorta Damo solus nausea afficiatur. Ignoravit fortasse scriptor, mari procellis agitato atque turbato etiam integros non solum vectores fere omnes, qui navigatione non assueti sint, sed etiam nautas multos in hunc morbum incidere. Nauseans autem Damo in mare pronus vomit. Atqui etiam ei, qui nutatione navis assueti sunt, tum, cum ea undis vehementer iactatur, vix recti stare possunt, qui vero nauseant plane se sustinere nequeunt, sed prostrati vomunt, ubicumque iacent, neque curant, ne navem inquinent. Sed non satis ineptiarum; incidit in mare Damo; hoc non mirum, mirandum potius esset, si non incidisset; incidit autem in mare, quia navis ea parte, in qua stabat, inclinabatur, et unda simul eum detrudebat: tot igitur opus est scriptori adiumentis, ut imbecillum hominem a latere navis in mare praecipitet. Porro

quis umquam audivit, fluctibus procella excitatis homines nare posse? potuisset Damo, nisi hic miser veste indutus fuisset. Fluctibus igitur paene obrutus exclamat; exaudit Euthydicus, qui aegrum amicum solum reliquit atque neglexit, in magno ventorum undarumque strepitu. Feliciter accidit, ut nudus sit, cum in lecto cubet (id quoque in causa est, cur media nocte omnia fiunt, cum verisimilius videri possit, hoc certe tempore Damonem aegrotum in lecto cubare; altera autem causa est, quod atrocior res scriptori videtur, si nocte accidit, excelsiorque Euthydici animus, qui nihilo minus amico auxilium fert, cf. c. XX (230, 5—10) *καί μοι ἐπ' ὀφθαλμῶν λάβε τὴν ἐπανάστασιν τῶν κυμάτων .... τὴν νύκτα ....*); proripit se in mare, neque fluctuum vi prohibetur, quominus nando amicum consequatur; levat fessum, neque undis ab eo depellitur; omniaque haec mira prospiciuntur *longe* (nam auferuntur amici vi undarum) cum luna diu luceat — quamquam tempestas est. Eam enim nondum remisisse primum colligi potest ex eo, quod in ipso iam mari Ionio navigarunt (*ἐν αὐτῷ ἤδη τῷ Ἰονίῳ ἔπλεον* c. XIX (229, 20—21), cum procella prehenderentur; non igitur procul aberant tum a Zacyntho, prope quam insulam Damo in mare incidit, neque, cum fluctibus ferrentur, multum temporis eis opus erat, ut eo venirent. Deinde disertis verbis scriptor ipse declarat, tempestatem nondum desiisse, cum dicat c. XIX (229, 23—26): *ἐπεὶ δὲ ἤδη σφᾶς κατὰ τὴν Ζάκυνθον εἶναι ἀπὸ ψιλῆς τῆς κεραίας πλέοντας, ἔτι καὶ σπείρας τινὰς ἐπισυρομένους, ὡς τὸ ῥόθιον ἐπιδέχεσθαι τῆς ὁρμῆς, περὶ μέσας νύκτας, οἷον ἐν τοσούτῳ σάλῳ ναυτιάσαντα* .... et alio loco c. XX (230, 4—6) *ἐν νυκτὶ ἐκπεσόντα ἐς πέλαγος οὕτως ἠγριωμένον .... καί μοι ἐπ' ὀφθαλμῶν λάβε τὴν ἐπανάστασιν τῶν κυμάτων, τὸν ἦχον τοῦ ὕδατος ἐπικλωμένου, τὸν ἀφρὸν περιζέοντα.* Ut tamen saeviente tempestate diu nox serena sit — imminente luna, quam procul res in mari tumescente cerni possunt, etiamsi luna lucet? Non curat id sagacissimus scriptor, acriore visu nautae praediti sunt quam Lynceus, vident omnia; miserati fortunam amicorum, cum eis auxilium ferre non possint, cortices, qui fortasse, ut Plauti verbis utar, indui pueris solebant, facilius ut narent et moverent manus, in mare iniciunt, omnia enim parata habent, deinde contos, scalas navales; quam verisimile, quaero, esse putas, has res in vasto mari ad amicos latum iri? attamen ad eos feruntur. Quid

2*

multa? si homines docti, qui Toxarim eleganter scriptum esse iudicaverunt, legerent, nostris temporibus factum esse, ut nautae, cum propter violentam procellam vectoribus, qui in mare cecidissent atque vi aquarum ablati essent, ipsi auxilium ferre non possent, scapham in mare demitterent, ut si forte fortuna ad eos ferretur, haberent quo se servarent, nugas dici crederent, aut insanorum id esse dicerent, eidem cum in libello, qui Luciani esse fertur, hoc legunt, narrationis elegantiam praedicant, atque ingenio acuto dignam eam esse putant.

Ex singulis autem, quae in hac narratione vituperanda videntur, hoc maximam offensionem habet, quod in his, quae c. XX (230, 5 seqq.) leguntur: *καί μοι ἐπ᾽ ὀφθαλμῶν λάβε τὴν ἐπανάστασιν τῶν κυμάτων .... τὴν ἀπόγνωσιν, εἶτα ἀποπνιγόμενον ἐκεῖνον καὶ μόγις ἀνακύπτοντα καὶ τὰς χεῖρας ὀρέγοντα τῷ ἑταίρῳ, τὸν δὲ ...., οὕτω γὰρ ἂν μάθοις, ὡς οὐκ ἀγεννῆ σοι καὶ τοῦτον φίλον .... διηγησάμην*, verba *τὴν ἀπόγνωσιν, εἶτα ἀποπνιγόμενον ἐκεῖνον καὶ μόγις ἀνακύπτοντα καὶ τὰς χεῖρας ὀρέγοντα τῷ ἑταίρῳ* plane supervacanea sunt atque inanis vocum strepitus; nam eo, quod Damo desperabat, in maximo periculo erat, manus tendebat, nequaquam illud probatur, quod scriptor hac sub aspectum subiectione probari vult (*οὕτω γὰρ ἂν μάθοις, ὡς οὐκ ἀγεννῆ σοι κ. τ. λ.*), Euthydicum, qui Damoni auxilium tulerit, amicum generosum fuisse; quomodo autem is, qui vix se super aquam sustinebat, tamen manus adversus amicum ex fluctibus tendere potuerit, equidem non video.

Ea autem, quae de tertio amicorum pari, de Eudamida et Aretaeo et Charixeno cc. XXII et XXIII (230—231) narrantur, singularia quidem sunt, sed magna ex parte non illepida et quae fieri *potuerint.* Facta vero ea non esse sed ficta apparet ex eo, quod alter amicorum, qui heredes instituti erant, iam post quinque dies moritur, scilicet ut alterius superstitis magnanimitas eo clarius elucescat. Sed scriptor suavitatem narratiunculae cum nimis augere velit, minuit; minus enim verisimilis ea fit et consilium scriptoris perspicitur. Neque illud bene constitutum est, quod testamento resignando alii adsunt, amicorum neuter adest. Videtur autem scriptor dialogi eo consilio ita rem finxisse, ut hac re, quod antea admirati essent ceteri et testamentum risissent, maior amicitia eorum appareret, qui quae eis luculenta hereditas Eudamidae testamento con-

tigisset, eam statim libenter adirent; sed quia ita commentum arguitur, non eam, quam scriptor voluit oblectationem narratio habet. — Neglegentissime vero idem Aretaei in filiam uxoremque Eudamidae mortui officium cap. XXIII (231, 16—20) a Toxaride laudari, infra autem c. XXXV (236, 11) ab eodem irrideri facit.

Quartum amicorum par Zenothemis atque Menecrates producuntur. Hic unus ex optimatibus Massiliensibus filiam habebat turpissimam. Cum autem sententia contra leges lata capite deminutus fortunisque privatus maxime de fortuna filiae sollicitus esset, quam pauperem et deformem neminem uxorem ducturum esse videbat, atque de hac re apud Zenothemim questus esset, is ipso amico dehortante illam matrimonio secum coniungit, non deterritus, quominus id faciat, neque puellae foeditate, neque ignominia patri eius iniuncta. Atque hic denuo scriptori accidit idem ac supra commemoravi. Cum enim id ageret, ut Zenothemidis facinus quam magnificentissime posset, exornaret, ea quae absterrere eum a matrimonio potuerunt, nimis auxit: patrem puellae fortunis privari, ignominia notari facit, puellae ipsius tantam deformitatem depingit, ut foedior vix ulla cogitari possit, tum quasi haec omnia non sufficiant ad procum deterrendum alieno loco c. XXIV (232, 2—3) addit famam fuisse, eam etiam morbo comitiali laborare (*ἐλέγετο δὲ καὶ καταπίπτειν πρὸς τὴν σελήνην αὐξανομένην*). His vero rebus contrarium efficit, atque efficere studet; nam cum puella monstruosa specie induatur, narrationem ipsam fabellam esse apparet.

Suo autem more scriptor c. XXIV (231, 36—37) inepte dixit: *μάλιστα δὲ αὐτὸν ἠνία θυγάτηρ αὕτη ἐπίγαμος ἤδη καὶ ὀκτωκαιδεκέτις οὖσα*, cum dicere aptius posset, *ὀκτωκαιδεκέτις ἤδη καὶ ἐπίγαμος οὖσα.*

Deinde ex parte similiter c. XXVI (232, 22—23) in verbis *ἀφορᾷ δὲ ἐς τὸν φίλον καὶ τὸν Μενεκράτην* supervacuo notio singularis generali notioni adiuncta videtur esse; nam quominus ea explicemus: „respicit amicum et talem quidem, qualis Menecrates erat“, iam ut alia omittam, ea re prohibemur, quod Menecrates nondum antea ita commemoratus est, ut eius ulla virtus eluceat.

Capitis vero XXIV (231, 36 — 232, 2) extrema haec: *μάλιστα δὲ αὐτὸν ἠνία θυγάτηρ αὕτη ἐπίγαμος ἤδη .... ἣν οὐδὲ μετὰ*

πάσης τῆς οὐσίας τοῦ πατρός, ἣν πρὸ τῆς καταδίκης ἐκέκτητο, ἠξίωσεν ἄν τις τῶν γε ἀγεννῶν καὶ πενήτων ῥαδίως παραλαβεῖν οὕτω κακοδαίμονα οὖσαν τὴν ὄψιν, nescio quid a communi intellegentia alienum continent. Bonis enim publicatis Menecrates maximum dolorem capere dicitur ex eo, quod filiam iam nubilem habet; quae autem erat causa, cur magis sollicitus esset de adulta filia, quam si non adulta fuisset? nempe quia videbat, fore ut nemo hominis pauperis atque capite deminuti filiam deformem in matrimonium ducere vellet, cum divitis atque nobilis etiam turpem filiam fortasse iuvenis ignobili loco natus et pauper uxorem duxisset. Ita certe verisimile est alios scripturos fuisse, sed ille, qui Toxarim dialogum composuit, seorsum a ceteris cogitat. Dicit igitur: „Menecrates, bonis privatus, capite deminutus, maxime maestus erat propterea, quod filiam iam nubilem habebat, quam ne omnibus quidem in dotem collatis fortunis, quas, antequam damnatus erat, possederat, ullus homo ignobilis et pauper uxorem ducere voluisset.“ At si ne divitis quidem et clari filiam deformem quisquam uxorem assumere voluisset, quae causa erat, cur tum potissimum, cum fortunis privatus et capite deminutus esset, diceretur maximum dolorem cepisse ex filia deformi, *quae iam nuptiis matura* esset? Apparet igitur, scriptorem etiam hac re demonstrare voluisse, quanta Zenothemidis in Menecratem benignitas fuisset, qui puellam ad deformitatem insignem, quam divitem viles homines respuissent, formidinem, ut ita dicam [*μορμολύκειον* c. XXIV (231, 26)], benevolentia in amicum permotus non solum uxorem duxisset — sed etiam mirifice amasset [*ὑπεραγαπῶν* c. XXV (232, 19)]. Atque ita homo tenuis ingenii in hoc unum intentus, ut Menecratis caritatem quam maxime augeret, non vidit, quam perperam cetera componeret.

Infantia porro re vera esse ea, quae cap. XXVI (232, 25—31) narrantur, infantem in curiam latum arrisisse senatoribus manibusque plausisse atque hoc facto graves illos atque severos viros misericordia fractos esse, eis, quibus haec placuerunt, non facilius probabis, quam mulieribus mulierumque similibus viris persuadebis, magnifica illa, quae in fabulis Romanensibus narrentur facinora, absurda esse. Nam si tantopere saperent, ut eis hoc probari posset, satis etiam iudicii haberent, ut ipsi per se intellegerent, narrationes illas ineptas esse. Delectet ergo hic infans, talis avi

sui defensor [τηλικοῦτος συνήγορος c. XXVI (232, 31)] omnes anili magis quam senili prudentia praeditos, dummodone dicant, Luciano haec absurda commenta digna esse.

Huic autem tam lepidae narratiunculae apposite a Mnesippo haec adduntur c. XXVI (232, 32—35): τοιαῦτα ὁ Μασσαλιώτης ἔλεγε Z. εἰργάσθαι ... οὐδὲ ὑπὸ πολλῶν ἂν Σκυθῶν γενόμενα, οἵγε κἂν τὰς παλλακὰς ἀκριβῶς τὰς καλλίστας ἐκλέγεσθαι λέγονται. Quam enim ingeniose haec Scythis exprobrantur! Non opus est, credo, exponere, qui fiat, ut non solum de Scythis sed de omnium gentium hominibus, qui quidem concubinas sibi deligant, id recte dici possit.

Quintum amicorum par, Demetrius Suniensis et Antiphilus Alopecensis, Athenienses producuntur. De quibus quam vanae hominum doctorum opiniones sint infra demonstrabitur, hoc loco ex instituto nostro ostendendum est, inepte ea, quae referantur, ficta esse atque perperam enarrari. Et primum quidem neglegentissime, cum c. XXVII (232, 37—38) dictum sit, amicos in Aegyptum navigasse (συνεκπλεύσας γὰρ ἐς τὴν Αἴγυπτον ὁ Δημήτριος Ἀντιφίλῳ) atque eos advenisse Alexandriaeque morari appareat, infra c. XXVII (233, 1—2) scriptum est, aliquando accidisse, ut Demetrius peregrinationem in Aegyptum susciperet (καὶ δή ποτε ὁ μὲν Δημήτριος ἔτυχεν ἐς τὴν Αἴγυπτον ἀποδημῶν): quomodo enim fieri potest, ut is qui in Aegypto iam moratur, in Aegyptum proficiscatur? Sed, ut iam dixi, ei, cuius res gestae a socordi scriptore produntur, nihil facere non licet. Dum autem Demetrius abest, Syrus, servus Antiphili, cum sacrilegis coniunctus sacra ex Anubidis templo aufert; furta apud Syrum deponuntur. Postea deprehensi sacrilegi et in equuleum impositi omnia confitentur. Inventis igitur in domo Antiphili furtis in vincula servus cum hero coniciuntur. Quae fieri potuisse, est quod mireris, cum non proditum sit, etiam Antiphilum ut sceleris socium a sacrilegis indicatum esse*). In carcere autem is, quasi omnium, qui in

---

*) Etiam Wielandius in his offendit, atque ita locum vertit: „so wurde auch Antiphilus der Herr des Sklaven, (weil er von ihm als Mitschuldiger angegeben worden war)“ ... annotatque (not. 29): „Ich habe nöthig gehalten diese Worte einzuschieben, weil es sonst unbegreiflich wäre, wie man auf eine blosse Vermuthung hin nach den römischen Gesetzen so streng mit Antiphilus hätte verfahren können“.

eadem vincula coniecta sunt, maxime nefarius sit, quamquam et Syrus et ceteri sacrilegi in eodem carcere sunt, pessime habetur a custode, qui hac re se deo gratum facturum esse credit. Omitto iam nonnulla, quia etiamsi non bene dicuntur, non ita tamen vehementer reprehendenda sunt, velut in molestiarum descriptione c. XXIX (233, 32—35) graves et leves res promiscue componuntur, et ridicule additur, acerba illa mala Antiphilo intolerabilia fuisse, quia tam duro victu — non assuetus fuisset. Alia autem propterea praetermittenda sunt, quod quamquam mihi magnopere displicent, tamen eiusmodi sunt, ut ineptiae magis sentiri quam diserte argui possint. Hoc vero monendum est, aeque atque in reliquis narrationibus in hac quoque omni modo a scriptore augeri ea, quae amicus ad amici res adversas sublevandas in se suscipiat; quin etiam ne occasionem amittat beneficiorum in amicum conferendorum Demetrius ea facere omittit, quae ante omnia ei facienda erant; hoc enim potissimum, credo, ei annitendum erat, ut innocentiam Antiphili patefaceret. Imprudenter igitur agit, ut magnificenter agere possit. Nam cum ei iam non liceat, amicum in custodia visere, ipse se eiusdem, cuius ille accusatus est, sacrilegii reum defert, ut in vincula coniectus eum iuvare atque consolari possit.

Ex eis autem, quae deinde accidisse dicuntur, scriptoris ingenium vel optime cognosci potest. Ac primum quidem de carcere, in quo amici erant paullo latius disserere oportet. De quo Iacobus (in Toxaride ab eo edito p. 110—111) ita scripsit: „formam habes", inquit, „carceris, in quo vincula singulorum captivorum (*οἱ κλοιοί*) manus eorum pedesque constringentia maiori catenae (*τῇ ἁλύσει*) erant alligata. Hac igitur limarum opera dirupta, et iuncturis, quae maiori catenae singulos alligabant, conscissis, liberiores fiebant captivi, ut unus alterius *κλοιοὺς* aperire posset". Sed numquam *οἱ κλοιοὶ,* neque apud alios, neque apud Lucianum quicquam aliud nisi collaria significant *), atque hanc vocis significationem etiam in Toxaride dialogo et in hoc loco obtinere, intellegere Iacobus debebat ex his, quae leguntur c. XXIX (233, 29—31): . . . *καὶ τῆς νυκτὸς οὐδὲ ἀποτείνειν τὰ σκέλη δυνάμενον ἐν τῷ ξύλῳ κατακε-*

---

*), Phot. 171, 22. ed. Pors. *κλοιοί· περιτραχήλιοι δεσμοί.* Lucian. d. merc. cond. 24 (II, 135, 4), pro merc. cond. 2 (II, 143, 7).

κλεισμένα· τῆς μὲν γὰρ ἡμέρας ὁ κλοιὸς ἤρκει καὶ ἡ ἑτέρα χεὶρ πεπεδημένη .... et c. XXXII (234, 32—34): *τοῦτο γοῦν ἐξειργάσατο .... ὑπὸ τῷ αὐτῷ κλοιῷ δεδέσθαι.* Quae cum ita sint, qui fieri poterat, ut Iacobus *κλοιοὺς* „vincula manus atque pedes constringentia" esse putaret? vidit scilicet, quamquam alioqui non mire acutus est, hoc saltem, non posse cogitari, ita catena per collaria traiecta homines insertos fuisse, ut lineae margaritarum speciem praeberent; praesertim cum tam multi in carcerem coacti fuisse dicantur, ut vix respirare possent. At videre illud quoque debebat, etiam formam carceris a se descriptam ineptam esse, et ita *duci* longo ordine vinctos posse, ut manus eorum vel manicae uni catenae alligatae essent, ne aufugere possent; permultorum vero hominum in unum carcerem coactorum manicas neque posse uni catenae inseri, neque esse causam, cur id fieret. Sed iam quaeritur, quid permoverit Toxaridis scriptorem ut hunc mirabilem carcerem excogitaret? Magis scilicet mirandos quam Socratem describere voluit Demetrium atque Antiphilum, quippe qui, quamquam ne patriis legibus quidem damnati erant, tamen occasione data ex vinculis fugere nollent. Duplici autem modo ei licuit id quod spectabat efficere. Potuit enim sic narrationem instituere, ut catenis non vincti amici, carceris claustris ab aliis, qui una cum eis in custodia essent, refractis, fugere possent; tum vero non ita excelsa videretur esse Demetrii magnanimitas — minus enim duram molestiam ad amicum sublevandum suscepisset — neque splendidum illud addi potuisset, eum multis precibus vix impetrasse, ut cum amico eodem collari vinciretur. Catenis igitur ad rem magnifice enarrandam opus ei esse videbatur. Cum vero ei, qui fugere occasione data nolint, consilia cum aliis inire ad catenas rumpendas, carceris claustra refringenda, custodes interficiendos fingi non possint, quid, si singuli singulis catenis vincti fuissent, verisimilius erat, quam eum, qui limam nactus esset, coniuratorum tantum vincula dissecturum, atque cum eis effugiturum, neque tempus consumpturum fuisse in eorum vinculis lima dissecandis, qui consiliorum participes non essent neque fugere vellent? Fecit ergo scriptor catenam per omnium, qui in custodia erant, collaria insertam esse, atque carcerem finxit, qui ad consilium suum aptissimus esset, re vera ne cogitari quidem potest. Atque ita ex hac etiam narratione id, quod supra memoravi, per-

spicitur, facinora amicorum, ut excelsa videantur, ita in maius extolli, aliaque omnia tam magnifice fingi, ut plane fieri non posse appareant.

Quae vero postea facta esse narrantur ineptissima sunt. Cum enim Aegypti praefectus Demetrium atque Antiphilum, quod non effugerant cum ceteris, ex custodia emittere vellet, illi contenti ea re non erant, ne, cum innocentes essent, viderentur scelesti esse atque propter misericordiam emitti, XXXIII (235, 13—15) *ἐβόα δὲ ὁ Δημήτριος καὶ δεινὰ ἐποίει, ἀδικεῖσθαι σφᾶς οὐ σμικρά, εἰ δόξουσι κακοῦργοι ὄντες ἐλέῳ ἢ ἐπαίνῳ τοῦ μὴ ἀποδρᾶναι ἀφεῖσθαι.* — Obtinebant igitur, ut quaestio haberetur. Sed cum Demetrius innocentiam suam atque amici probare iudicibus debeat, neque difficile erat probare, quid facit? lacrimas profundit (*καὶ δακρύων προσέτι καὶ ἱκετεύων* c. XXXIV (235, 32) et suppliciter orat; atqui quid flendo et supplicando aliud efficere potest, quam ut misericordiam iudicum concitet, cum tamen nolit videri se et amicum a praefecto propter misericordiam ex custodia emissos esse? Porro non vult scelestus videri, nihilominus totius rei culpam ipse praestat! (*καὶ τὸ πᾶν ἐφ' ἑαυτὸν ἀναδεχόμενος* c. XXXIV (235, 34). Quaestione autem habita, tormentis servus interrogatur. Hoc si omnino faciendum erat, statim ab initio fieri debebat. Sed quid opus erat tormentis, cum servus herum affinem esse sceleris non diceret? (Certe id non a scriptore relatum est.) Faciamus tamen Antiphilum falso insimulatum esse, nonne servus tormentis conspectis statim herum innocentem esse confessus esset? Multa iam absurda legi, absurdiora quam haec legi nulla.

Praeterea neglegenter c. XXXIII (235, 14) dictum est, *ἐπαίνῳ τοῦ μὴ ἀποδρᾶναι ἀφεῖσθαι.* Potest aliquis laudari, emitti e custodia, quod occasione data non effugit; quomodo vero recte dici possit, aliquem emitti propterea quod laudetur, quod non effugerit, equidem non intellego.

Deinde quod c. XXXV (236, 8—9) Toxaris praedicat, non esse Scytharum magnifica oratione uti, praesertim tum, cum verba superentur rebus, non minus callidum est, quam si quis glorietur, non esse popularium suorum furari, praesertim si in omnium rerum abundantia vivant.

Ut iam ad ea, quae Toxaris narrat, persequenda transeam, universe de eius dicendi genere pauca memoranda sunt. Apparet

enim ex nonnullis locis scriptorem rem ita instituere voluisse, ut Toxaris Scythes simpliciter atque inornate, Mnesippus Graecus verbose atque magnifice cum omnino loqueretur, tum praecipue res gestas popularium enarraret, cf. c. IX. (p. 224, 21—23; 34—35); c. XXXV (p. 236, 7—8) *πλὴν ἄρξομαί γε ἤδη, μηδὲν ὥσπερ σὺ καλλιλογησάμενος*· c. XLII (p. 238, 32—35) *καίτοι ἐγὼ μέν σοι γυμνὸν τὸ ἔργον διηγησάμην· εἰ δὲ σύ τινα τοιοῦτον ἔλεγες, εὖ οἶδ' ὁπόσα ἂν κομψὰ ἐγκατέμιξας τῷ λόγῳ, οἷα ἱκέτευεν ὁ Δάνδαμις, καὶ ὡς ἐτυφλοῦτο κ. τ. λ.* Nihilominus oratio Scythae a Graeci oratione minime diversa est. Atque hoc quidem nobis mirum non videtur, quibus persuasum est, tenuissimi ingenii hominem fuisse, qui Toxarim dialogum conscripserit. Maxime autem illud mirandum, quod Wielandius, vir elegantissimi iudicii, hoc non perspexit. Dicit enim (annot. ad c. XLIII translati ab eo dialogi) in eis, quae de Belitta (c. XLIII) narrentur, orationem Scythae non differre a Mnesippi oratione, statuitque in reliquo dialogo scriptorem a consilio non recedere, magis scilicet ea respiciens, quae ille se facere velle atque facere affirmat, quam ea, quae re vera praestitit. Cui enim minus loquax et grandiloquus Toxaris quam Mnesippus videri potest, attente legenti ea, quae c. XXXVI (p. 236), c. XXXVII (p. 237, 1—5), c. XXXIX (p. 237, 30—40), c. XLVI (p. 240, 15—20), c. LIII (p. 243, 13—20), c. LV, c. LXI (p. 246, 31—36) partim verbose, partim magnifice prolata sunt? Atque omnino non esse Scythen breviorem quam Graecum iam ex eo cognosci potest, quod utriusque quinque narrationes todidem circiter paginis (novenis Bekk. edit.) continentur.

Cum autem ex eis, quos attuli, locis unus non solum tumide sed etiam neglegentissime scriptus sit, seorsum is tractandus videtur. Capite enim XXXIX (p. 237 v. 31—32) dicuntur Sarmatae omnes Scythas in fugam convertisse, multos viros militares cecidisse, nonnullos vivos cepisse, atque paucis interpositis adduntur haec: *εὐθὺς οὖν ἥ τε λεία περιηλαύνετο καὶ τὰ αἰχμάλωτα συνείχετο καὶ τὰς σκηνὰς διήρπαζον καὶ τὰς ἁμάξας κατελαμβάνοντο, αὐτάνδρους τὰς πλείστας ἁλισκομένας.* Sed primum non intellego, quid valeant verba *καὶ τὰ αἰχμάλωτα συνείχετο*, cum adiungatur *καὶ τὰς ἁμάξας κατελαμβάνοντο, αὐτάνδρους τὰς πλείστας ἁλισκομένας*, deinde quid haec ipsa significent, cum

iam antea narratum sit, viros militares aut occisos aut vivos captos esse, nisi qui flumen tranassent.

Sed ut de singulis, quos Scythes produxit, amicorum paribus disserere aggrediar, quae capite XL enarrantur, permira sunt, ut pleraque, quae in Toxaride leguntur. Exaudit enim, c. XL (p. 238, 1—2), Amizocen amicum Dandamis, Tanai, lato flumine disiunctus in magno praedantium tumultu; tum (238, 18) oculis effossis caecitate non impeditur, quominus flumen tranet *). Neque minus mirabilia sunt haec, quae deinde evenisse dicuntur: Dandamidis fortis animus egregiumque facinus Scythas de clade consolantur, qua dimidia pars populi interiit, Sarmatas vero ita perterrent, ut nocte oborta plaustris combustis, plurimisque armentis relictis effuso cursu fugiant metuentes, ne si cum Scythis ad pugnam instructis paratisque congrediantur, cladem accipiant. Sed, ut multa alia omittam, quae inepte excogitata sunt, cum fluvius magnus interflueret, neque Scythae dimidia parte populi prope ad internecionem redacta id agerent, ut Tanaim transgressi Sarmatas adorirentur, quid hos impedivit, quominus non lacessiti lente et ordinati cum praeda se reciperent? Cum hoc igitur fugae miraculo ne Sancheribii quidem fuga comparari potest, quem campus equorum ungulis quassus, gressu peditum ictus, murmur cornuum lituorumque strepitus terruisse dicuntur.

Contra consuetudinem autem Graeci sermonis mihi dicta videntur haec c. XLI (239, 23): *λογιζομένους πρὸς οἵους ἄνδρας ἐκ παρασκευῆς μαχοῦνται·* nam verba *ἐκ παρασκευῆς* grammatice ad subiectum referenda sunt, atque ita haec efficitur sententia: „reputantes secum, cum qualibus viris parati instructique pugnaturi essent“; cum scriptorem appareat hoc voluisse dicere: „reputantes, cum qualibus Sarmatae viris, cum ei (Scythae videlicet) instructi paratique fuissent, pugnaturi essent.

Septimam, quae sequitur, narrationem (cap. XLIII) fictam esse ex eo, quod in Scythia leones non sunt, intellexerunt omnes excepto Forbigero **), qui ex ea collegit, Scythiam olim leones aluisse,

---

*) Non video, qui natare Scythae didicerint, qui numquam in fluminibus lavari solerent. Herod. IV, 75. *οὐ γὰρ δὴ λοῦνται ὕδατι τὸ παράπαν τὸ σῶμα·* cf. Neumann, die Hellenen im Scythenlande p. 294.

**) Pauly Real-Encyclopaedie der classischen Alterthumswissenschaft s. Sarmata VI, 1 p. 773 v. 21.

absurdam autem eam esse, interpretum, quantum video, perspexit nullus *). Quid multa? Invadit Basthen leo, astat amicus armatus; quid putas, puerum in tali periculo facturum fuisse, nisi prae metu mente esset captus? nempe leonem aggressus esset, et gladio aut gulam aut pectus ferae petivisset. Cum igitur si aeque ac puer sapivisset Belittas, leonem statim interficere, Basthen fortasse servare potuisset, scriptori non satis praeclarum benevolentiae suae in amicum documentum ita daturus fuisse videbatur. Itaque consistit in tergo leonis, irritando eum in se avertere studet, digitos per dentes bestiae inserit, ut amicum ex ore eius liberet cumque fera a semianimo Bastha se in Belittam averterit eumque amplexa sit, tum iam graviter vulneratus moriensque eam transfigit. Sapiit igitur tum, cum ei sapere iam non prodesset.

Praeterea illud etiam monendum, ita rem a scriptore narrari, quasi duo amici soli in venationem iverint, nemo, cum a leone invadantur, praesens adsit; atqui cum amici una cum leone mortui essent, quis eorum cum bestia congressum Scythis tam accurate enarravit? De monumento autem leoni facto nihil aliud habeo dicere, nisi quod Wielandius iocatus est, dignum hoc fuisse honore leonem, quod in Scythia peregrinatus esset.

Octavam deinde instituit Toxaris narrationem similem fictarum earum populi fabellarum, in quibus res non ita describuntur, ut sunt, sed ut ei esse videbantur, qui fabulas illas finxit, in quibus homines humili loco nati regum filias adamare dicuntur, a nymphisque et laribus adiuti multis rebus gestis regum generi exsistere. Sed ut pueriles mores, per se non ingrati, si viris insunt, molestiam afferunt, sic fabellae illae magnam habent oblectationem, haec quae in Toxaride inest narratio taedium parit. Hoc autem eius argumentum est. Arsacomas Scythes unus e multis missus ad regem Bosporanorum Leucanorem, ut tributum exigat, filiam eius adamat et in matrimonium petit, quamquam unus de plebe est, et rege dignum se generum esse putat, quod amicos duos praestantes habeat. Sed hoc non nimis mirandum est, nam etiam ille,

*) Wielandius quidem (Wiel. Uebersetzung Anm. 37) nescio quod sollers consilium in hac narratione sibi perspexisse videtur. De ipso consilio hic disputare non attinet, illud autem monendum, scriptorem Toxaridis, si id, quo eum usum esse Wielandius credidit, consilium ei fuisset, pro sua consuetudine verbose id expositurum fuisse.

qui regis Bosporanorum filiam in matrimonium abducit, Adyrmachus, quam dives et potens princeps esse narratur! possidere se dicit decem pateras aureas atque octoginta plaustra, et propter has insignes opes ceteris procis, regum filiis, praefertur. Tota deinde Scytharum natio perturbatur ad armaque excitatur, quod Arsacomas unus e plebe filiam regis in matrimonium non acceperat. Macentes autem et Lonchates, illustria amicitiae exempla, fraudem committere atque caedem facere non dubitant, ut gravem scilicet Arsacomae illatam iniuriam ulciscantur amicoque gratificentur. Dignum sane Luciano hoc narratiunculae argumentum!

Sed non solum summa rei perabsurda est, sed etiam singula perverse exponuntur, ut caedes Leucanoris ineptissime ficta est; et primum quidem, quoniam nulla satis gravis causa profertur, cur regi in templum eundum fuerit, mirum ei videri debuit, quod Lonchates, cum ipse non remotis arbitris consilium suum ei exposuisset, neque timuisset, ne cui suspicio incideret, de qua re colloquerentur, metuere se simulabat, ne quis eorum, qui praesentes essent, regem iurantem conspicatus suspicaretur, cuius rei causa iuraret. Sed faciamus regem perterritum animadvertere non posse, sibi insidias strui, in templumque intrare, attamen cur corporis custodes quam maxime procul recedere iuberet, nulla causa erat. Deinde regi vociferari non licuit — per scriptorem, Lonchates vero eo, quo voluit, modo id impedire minime potuit. Nonne enim rex cum Lonchaten gladium stringentem videret, vociferari potuit? nonne cum manum ille admoveret, ut os regi opprimeret? et quomodo una manu admota ita regi os opprimere potuit, ut is vocem emittere nequiret? Neque minus mire accidit, quod regis caede cognita, neque ea diu celari potuit, non extemplo ad interfectorem persequendum aliqui coorti sunt, sed seditione de regno statim concitata, omnes, quominus id facerent, prohibebantur.

Argute autem ineptiens Toxaris, postquam enarravit, quomodo erepta Adyrmacho coniux, Leucanoris filia, Arsacomae tradita esset, dicit LII (243, 12—13): *τοῦ δὲ πρὸς τὸ ἀνέλπιστον τοῦ θεάματος καταπλαγέντος καὶ χάριν ὁμολογοῦντος·* nam solent homines, magna re attoniti, omittere quod facere debent; videturque Toxaris significare, Arsacomam, nisi necopinata re obstupuisset, Macentae, animae suae parti, gratias acturum non fuisse.

Deinde ea, quae cap. LV de Arsacomae impetu atque virtute

proferuntur, talia paene sunt, qualia a Luciano in libro de historia conscribenda magnopere irridentur. Maxime autem mirandum illud primum, quod Arsacomas, cum inter eos esset, qui se recipiebant, tam acriter casum et vulnera amicorum vidit, qui inter eos erant, qui circumventi undique ab hostibus caedebantur; deinde hoc, quod copide, gladio falci simili, Adyrmachum usque ad cingulum fidit; nisi forte scriptor copidem spathae similem ensem esse vult, ut acinacem, qui nihil aliud est, nisi copis, spatham esse existimavit codicis Vossiani scholiastes, qui ad Anach. c. XXXV hoc notavit: *Ἀκινάκης ἡ ῥομφαία ἢ σπάθη παρὰ τοῖς Σκύθαις.*

Addenda nonnulla, quae contra logica, ut ita dicam, praecepta disposita sunt. Nonnumquam enim Toxaridis scriptor, cum quaedam ita exposuerit, quasi sequantur ex eis, quae antecesserunt, quorum causa igitur antecedentibus continetur, eorundem novam causam postea adiungit, cum utraque aut antecedere aut sequi debeat. Ita capite LIV (243, 23—24) dicitur Adyrmachus, cum insidias sibi factas esse comperisset, non iam in Bosporum iter perrexisse, additurque, Eubiotum enim rerum iam potitum esse (*ὁ δὲ Ἀδύρμαχος ὡς ἤκουσε τὴν ἐπιβουλήν, ἐς μὲν τὸν Βόσπορον οὐκέτι ἦλθεν, ἤδη γὰρ Εὐβίοτος ἦρχεν*); dicendum potius erat, Adyrmachum, cum insidias sibi factas esse audivisset, simulque comperisset, Eubiotum iam rerum potitum esse, in Bosporum iter non perrexisse. Similiter in capite XXIX (233, 28) hoc: *ὑπενόσει τοιγαροῦν ἤδη καὶ πονήρως εἶχεν*, ut *τοιγαροῦν* particula docet, ex antecedentibus colligitur, et tamen postea alia morbi causa additur (*οἷον εἰκὸς χαμαὶ καθεύδοντα* ...). Eiusdem fere generis sunt ea, quae cap. LIII (243, 15—20) leguntur: *τὸ γὰρ χάριν ἐμοὶ ὁμολογεῖν ... τοιόνδε ἐστὶν, ὥσπερ ἂν ἡ ἀριστερά μου χάριν εἰδείη τῇ δεξιᾷ ... γελοῖα τοίνυν καὶ ἡμεῖς ἂν ποιοῖμεν, εἰ ... ἔτι μέγα νομίζοιμεν εἶναι, εἰ τὸ μέρος ἡμῶν ἔπραξέ τι χρηστὸν ὑπὲρ ὅλου τοῦ σώματος· ὑπὲρ ἑαυτοῦ γὰρ ἔπραττε, μέρος ὂν τοῦ ὅλου εὖ πάσχοντος·* nisi quod in his gravius etiam vitium inest, nam „ridiculi igitur", inquit Macentes, „*etiam nos* simus", quasi in antecedentibus („nam *quod mihi* gratias *agis*") non de eisdem sed de aliis quibusdam sermo fuerit.

In nona autem narratiuncula cap. LVII (245, 8—9) non apte dicuntur Sisinnes et Toxaris veriti esse, ne si ad magistratum deferrent, sibi res suas surreptas esse, *sycophantae* esse viderentur;

nam unde qui tum primum in Graeciam proficiscebantur ullam sycophantarum notitiam habere potuerunt? quanto aptius et ita, ut res postulabat, Lucianus Anacharsim, cum Athenas venisset, Graecos mores et instituta ignorantem fecit.

Deinde cap. LX (246, 1) Sisinnes cum gladiatore pugnans in poplite vulneratur; quomodo autem eius, qui adversus pugnet, poples caedi possit, equidem me non intellegere profiteor, neque dubito, quin Lucianus etiam hoc vulnus in illis *ἀπιθάνοις τραύμασι* numeraturus fuerit, quae in libro de conscr. hist. c. XX (II p. 28, 23—25) irridet.

Perversum etiam illud est, quod Sisinnes in vita quidem remansisse dicitur, claudicare vero *nihilo minus* (*καὶ ἐπὶ πολὺ θεραπευθεὶς ἐπέζησε μὲν ... χωλὸς δέ ἐστιν ὅμως ...*) quasi natura ita ferat, ut is, qui graviter in pede vulneratus recreatus est, ne claudicare quidem ex vulnere accepto possit.

In decima autem narratione c. LXI (246, 22) suo more scriptor, ut periculum maius esse videretur, inepte addidit: *καὶ πάντα περιεκλείετο*· nam neque tam artificiose et firmiter antiquorum aedificiorum fores occludi poterant, ut non facile intus aperirentur, neque Abaucham erumpentem clausae fores impediebant.

Sequuntur in eodem capite haec: *καὶ ἔφθη διεκπαίσας καθ' ὃ μηδέπω τελέως ἀπεκέκαυτο ὑπὸ τοῦ πυρός*, quae Iacobitius ita interpretatus: „erupit ea parte domi, quae ea nondum plane incendio deleta fuerat", „in hanc," inquit, „simplicissimam explicandi rationem est quod mireris neminem editorum incidisse"; sed hoc cum dixit homo doctus non vidit, hanc, quam simplicissimam explicandi rationem diceret, non bene constare. Nam cum interpretetur: „erupit *ea parte* domi, qua ea nondum *plane* incendio *deleta* fuerat", statuat oportet, reliquas aedificii partes iam plane incendio deletas fuisse; tum vero mirandum est, coenaculum non concidisse, amicos in domo incendio maxima ex parte plane deleta integros mansisse. Equidem ne hoc quidem intellego, quomodo minore cum periculo Abauchas ea parte domus eruperit, quae incendio *nondum plane* deleta fuerit, (*μηδέπω τελέως ἀπεκέκαυτο*), quae igitur tum maxime flagrabat, quam ea, quae incendio iam tota consumpta fuerit. Itaque non ei vituperandi esse videntur, qui satis idoneam interpretationem non excogitaverunt, sed is, qui simplicissima esse ea putavit, quae maxime implicata, vel potius absurda sunt.

Tum quae Abauchas vituperatus, quod posthabitis uxore et liberis amicum ex flammis eripuerit, respondet, nova quidem non sunt, sed inepte a Toxaridis scriptore detorta. „Liberos", inquit Abauchas, „etiam posthac procreare facile mihi est" [c. LXI (246 32 seqq.): *ἀλλὰ παῖδας μὲν καὶ αὖθις ποιήσασθαί μοι ῥᾴδιον*] „neque apparet, num boni *hi* futuri sint" (*καὶ ἄδηλον εἰ ἀγαθοὶ ἔσονται οὗτοι*). Patet autem pronomine (*οὗτοι*) eos tantum liberos significari posse, quos procreare facile sibi esse dicat, nam cum filio amisso sola puella Abauchae relicta esset, *οὗτοι* ad liberos quos habebat, referri nequit. Atqui hoc, non patere, num liberi, quos quis procreaturus sit, boni evasuri sint, recte diceret Abauchas, si de eo ageretur, utrum liberis opera danda esset nec ne, cum autem vituperetur, quod liberis, quos iam habebat, amicum anteposuerit, praeposterum eius responsum est. Neglegentissime ergo illa: *ἀλλὰ παῖδας . . . ἔσονται οὗτοι* scripta sunt, cum haec potius scribi oporteret: *ἀλλὰ παῖδες μὲν εἰ ἀγαθοὶ ἔσοιντο ἄδηλον, καὶ ἄλλους αὖθις ποιήσασθαι μοι ῥᾴδιον,* quae etiamsi non elegantissime dicuntur, tamen sententiam sanam praebent.

Praeter ea, quae attuli, alia etiam aut male disposita aut certe dura in Toxaride dialogo reperiuntur, atque omnino vel a communi intellegentia vel a consuetudine sermonis abhorrentia plura, quam umquam apud Graecos scriptores legi, in eo insunt. Omittenda tamen quaedam erant, ne nimis lata commentatio esset. Quibus vero iam ea, quae exposui, nimia esse videntur, ei expendant, quam saepe de subditis libris opiniones hominum doctorum inter se dissideant, quamque propterea diligenter res mihi perscrutanda atque pertractanda fuerit, ut sententiam meam omnibus, si fieri posset, probarem. Hoc vero me iam assecutum esse spero, neque bene sanum quidem quemquam posthac futurum esse, qui a me dissentiat. Sed cum videam fuisse iam, qui opinioni suae labefactae adminiculum quaerentes dialogum a Luciano iuvene scriptum esse dicerent, neque dubitandum sit, quin etiam futuri sint quidam, qui id contendant, adversus eos paucis disputandum. Ac primum quidem ipsi dialogum perlegant diligenter atque accurate omnia perpendant, intellegent, ab imbecillo sene scribi eum potuisse, a iuvene ingenioso non potuisse; deinde id si secum reputaverint, futurae praestantiae indicia iam in pueris, ne dicam in

iuvenibus apparere, neque umquam auditum esse, eos, qui iuvenes fatui atque stupidi fuerint, viros facetos atque acutos evadere, persuasum mihi est, eos confessuros esse, Lucianum, qui ingenii acumine excelluerit, ne puerum quidem tales, quales in Toxaride insint, ineptias in medium prolaturum fuisse.

Lucianum serviliter Toxaridis scriptorem imitatum esse; aetate posteriorem fuisse. — Ante decimum saeculum dialogum scriptum esse [1]).

Decipit exemplar vitiis imitabile.
Horat. epist. I, 19, 17.

Quodsi nihilo minus ex eis, qui Luciani scripta ediderunt, nemo praeter Bekkerum Toxarim dialogum subditum esse intellexit, hoc inde factum est, quod Toxaridis scriptor orationem Luciani serviliter imitatus est. Qua in re ei accidit id, quod omnibus imitatoribus accidere solet. Quae enim exemplari propriae sunt virtutes, eae imitando saepe in vitia contraria vertuntur; sic qui simplicem orationem imitatur saepe ieiunus, qui sublimem turgidus est; qui strictum scriptorem aemulatur obscurus, qui copiosum verbosus evadere solet. Deinde sunt quaedam, quae cum suo loco aptam atque lepidam sententiam praebeant, ab imitatore in alieno loco posita inania, nonnumquam etiam inepta sint.

Perversae imitationis exempla: de ubertate verborum.

Sic a Luciano multa copiose dicta sunt, sed ita, ut sive coacervatis vocibus variis modis exprimitur sententia, sive augetur,

---

[1]) Libri, ex quibus multos locos in hac commentationis parte attuli, sunt:
Lucian. ed. Bekker.
Heliodor. ed. Bekker. Lipsiae MDCCCLV.
Alciphr. ed. Aug. Meinek. Lipsiae MDCCCLIII.
Achill. Tati. ed. Jacobs.
Aristaen. ed. Boissonnade.
Charit. ed. d'Orville.
Xenoph. Ephes. } ed. Rudolph. Hercher (erotici scriptores graeci tom. prim.
Longi pastoral. } Lips. MDCCCLVIII).
Numeri uncis inclusi paginarum atque versuum sunt.

singula tamen aut accurate digesta atque apte composita procedant, aut certe bene intellegi possint; cuiusmodi sunt:

Somn. 10 (I, 5, 31—32), 13 in. (6, 22—24), de dips. 1 (8, 10—12), Scyth. 10 extr. (20, 6—9), Herc. Gall. 4 (24, 24—25), 8 (25, 22—23), de dom. 16 (32—35), Herm. 81 (207, 12), vit. auct. 27 (264, 33), Anach. 20 (294, 25), necyom. 3 (305, 36—37), Char. 15 (321, 15—16 et 16—17), 18 (322, 35—36), catapl. 15 (332, 20—21), 16 (332, 39—40), navig. 39 (350, 22—23), dial. mort. X, 4 (363, 19), 8 (364, 17—20), Tim. 15 (394, 23—24), gall. 9 (411, 40), 25 (420, 13—18), Sat. 9 (427, 24—25), 11 (428, 19—20), 20 (431, 34).

Prom. es in v. 6 (II, 19, 35), hist. conscrib. 51 (38, 18), Alex. 4 (72, 31—32), 5 (73, 26—27), d. merc. cond. 4 (126, 12), 13 (130, 9), 25 (135, 17—18), pro merc. cond. 8 (145, 26).

Cum his autem conferas ea, quae incomposite in Toxaride prolata sunt:

c. 7 (223, 24—27), 20 (230, 5—7), 29 (233, 32—35), 39 (237, 36—38), *εὐθὺς οὖν ..... ἁλισκομένας*, cum v. 31—32 antecesserint haec: *ἅπαντας τρέπουσι, πολλοὺς δὲ τῶν μαχίμων κτείνουσι, τοὺς δὲ καὶ ζῶντας ἀπάγουσιν.*

Nonnumquam etiam a Luciano notiones sola mente percipiendae cum notionibus concretis, quasi eiusdem generis sint, coniunguntur, ut:

navig. 27 (I, 346, 16—17) *ἐῶ λέγειν ὅσας ἐπιβουλὰς οἶδα* (om. Bekker.) *μετὰ τοῦ πλούτου καὶ* (Bekker. *ἢ*) *ληστὰς καὶ φθόνον καὶ μῖσος*;

similiter in Tox. 16 (228, 1—3) *ὅμως διηγεῖτο πάντα, τὸν ἔρωτα, τὴν ἀπορίαν, τὴν ὑπεροψίαν τῆς γυναικός, τὸν ἀντεραστὴν τὸν Κρῆτα*; cf. 20 (230, 5—7), 29 (233, 32—35) [1].

Deinde plurali numero nominis, quod est *πλοῦτος*, coniuncti cum aliis nominibus pluralis numeri saepe Lucianus utitur:

Icarom. 4 (I, 157, 11) *πλούτους λέγω καὶ ἀρχὰς καὶ δυναστείας*, Hermot. 7 (173, 5), fug. 20 (248, 8), necyom. 12 (309, 18) *πλούτους λέγω καὶ γένη καὶ δυναστείας.* Alex. 14 (II, 76, 35), de merc. cond. 27 (136, 34);

simile quoddam legitur Tox. 45 (239, 31—32) *καὶ βασιλείας καὶ πλούτους καταριθμησαμένων.*

Addo alia quaedam a Luciano atque a Toxaridis scriptore similiter coniuncta,

ut *γενναιός τε καὶ καλός*, dialog. marin. XIV, 1 (I, 92, 18).
Tox. 58 (245, 19).

---

[1]) Hac vocum coniunctione etiam scriptores fabularum Romanensium, quas vocant, uti amant:

Charito III, 9 (81, 7—10), Xenoph. Ephes. III, 5 (364, 26—27), III, 12 (372, 30—31), V, 9 (392, 13—15), Achill. Tat. VIII, 5 (172, 7).

et *συνοικίαι καὶ ἀγροί*, catapl. 15 (I, 332, 20—21), Saturn. 20 (432, 4—5) *συνοικίας καὶ ἀγρούς*.

Tox. 15 (227, 29—30) *συνοικίαι ὅλαι καὶ ἀγροί*.

De repetitione.

Deinde Lucianus saepe verbum aliquod repetit interpositis *ὦ* interiectione cum nomine aut pronomine:

Tyrannic. 18 (I, 56, 25—26) *οὐ γὰρ ἠγνόουν, ὦ οὗτος, οὐκ ἠγνόουν*, Iupit. trag. 36 (149, 27) *ἀκούουσι γάρ, ὦ Δᾶμι, ἀκούουσιν*, dial. meretr. IX in. (450, 19) *ἀπολώλαμεν, ὦ κεκτημένη, ἀπολώλαμεν.* (Eadem vox non interpositis verbis repetitur: Tyrannic. 7 (52, 21—22), Iup. trag. 32 (I, 147, 26), Icarom. 34 (169, 31) piscat. 37 (278, 25), dial. meretr. IV, 5 (449, 3); similiter in Tox. 1 (221, 3) *θύομεν, ὦ Μνήσιππε, θύομεν* legitur.

Τὰ κοινὰ καὶ καθ' ἡμέραν, res vulgares.

Denique viles et vulgares res Lucianus *κοινὰ καὶ καθ' ἡμέραν* dicit:

Iupit. trag. 13 (I, 140, 14—15) *τὰ κοινὰ καὶ τὰ καθ' ἡμέραν ταῦτα βοῶντες*, 50 (154, 25) *ἀλλὰ τὰ κοινὰ ταῦτα καὶ καθ' ἡμέραν*,

a Toxaridis autem scriptore c. 49 (241, 15) verba: *Σκύθαι τὰ κοινὰ ταῦτα καὶ τὰ καθ' ἡμέραν ἀξιοῦσιν* non satis apte, ut ab imitatore, usurpata in errorem homines doctos, Iacobum praecipue et Iacobitium, induxerunt; hi enim *τὰ κοινὰ ταῦτα καὶ τὰ καθ' ἡμέραν* referenda esse dicunt ad ea, „quae communi utriusque populi decreto sancita sint et secundum quae per singulos dies agatur"; quae refellere supervacaneum est.

De interpositione.

Porro saepius quam ab ullo eorum, quos equidem novi, scriptorum a Luciano interpositio usurpatur. Cum autem hoc duplici modo fiat, nam vel ea, quae magis eum, qui dicit, et eos, qui audiunt, attingant, vel ea, quae ad rem explicandam necessaria sint, continuationi sermonis media interponere solet, hoc alterum interclusionis genus hic respiciendum est. Proprium enim Luciani est, statim in mediam rem referendam ingredi, atque praecipue in narratiunculis exemplisque afferendis id statim persequi, quod potissimum ad rem probandam pertinet, atque ita saepe postea interclusione addere cogitur ea, quae ut narratio intellegatur, utique necessaria sunt et iam cum antecedentibus arte contexenda erant. Quod maxime apparebit ex eis, quae cap. 12 (II, 25, 11 et 13) libri de conscribenda historia leguntur. Postquam enim dicti sunt

adulatores eorum etiam, quibus blandiuntur, odium in se convertere, ita pergitur: *ὥςπερ Ἀριστοβούλου μονομαχίαν γράψαντος Ἀλεξάνδρου καὶ Πώρου καὶ ἀναγνόντος αὐτῷ τοῦτο μάλιστα τὸ χωρίον τῆς γραφῆς (ᾤετο γὰρ χαριεῖσθαι τὰ μέγιστα τῷ βασιλεῖ, ἐπιψευδόμενος ἀριστείας τινὰς αὐτῷ καὶ ἀναπλάττων ἔργα μείζω τῆς ἀληθείας), λαβὼν ἐκεῖνος τὸ βιβλίον (πλέοντες δ' ἐτύγχανον ἐν τῷ ποταμῷ τῷ Ὑδάσπῃ) ἔρριψεν ἐπὶ κεφαλὴν ἐς τὸ ὕδωρ . . . . .*

Alia huius generis exempla sunt:

Phal. I, 2 (I, 43, 14), II, 6 (49, 5), Tyrann. 20 (57, 22 et 23), Prom. s. Cauc. 12 (79, 5), dial. mar. V, 2 (86, 13—14), VII, 1 (87, 32), XI, 2 (90, 21), dial. deor. III (96, 26), IV, 1 (96, 31), XX, 1 (112, 37), XX, 10 (116, 13), XXV, 2 (123, 5), Iup. conf. 3 (130, 12), 10 (132, 23), Iup. trag. 15 (141, 21 et 27), 30 (146, 19—20). Icarom. 5 (157, 29—30), 10 (159, 34—35), Hermot. 19 (178, 17), Philops. 6 (211, 26 et 28), 14 (214, 36—37), 25 (219, 34—35), 31 (221, 36 et 222, 14), 36 (224, 10), 39 (225, 9), eun. 13 (229, 20), Symp. 16 (233, 37), 19 (234, 32), 30 (237, 17), 33 (238, 12), fug. 8 (245, 12), piscat. 24 (274, 1), 36 (278, 14), 37 (278, 25), necyom. 9 (308, 8), Char. 10 (318, 13), catapl. 12 (230, 40 et 231, 1), 13 (233, 11), dial. mort. XXI, 1 (379, 30), Tim. 9 (392, 28), 40 (401, 21), 49 (404, 9), gall. 1 (407, 21), dial. meretr. VIII, 3 (450, 8), X, 3 (453, 25), XII, 1 (458, 30).

Bis acc. 11 (II, 6, 22), 17 (9, 31), 27 (14, 4), de conscr. hist. 3 (21, 22), 5 (22, 16), 29 (32, 11), 35 (34, 11), 46 (37, 15), V. hist. A. 4 (42, 18), 12 (44, 38 et 45, 4), 40 (54, 30), V. hist. B. 2 (56, 24), 3 (57, 3), 25 (63, 22), 27 (64, 19), 44 (69, 35), Alex. 10 (75, 6), 13 (76, 7 et 16), 17 (77, 32), 21 (79, 14), 46 (86, 23), 53 (88, 32), 54 (89, 5), 55 (89, 14), de mort. Peregr. 15 (95, 10), adv. ind. 12 (107, 36), 18 (109, 4), de apophr. 8 (116, 8), de merc. cond. 6 (127, 7), 18 (132, 6).

Quantopere autem hanc Luciani consuetudinem Toxaridis scriptor imitatus sit ex similibus interpositionis exemplis apparet:

16 (227, 36—37), 17 (228, 27), 20 (229, 32, 33, 34), 28 (233, 13), 30 (233, 40), 32 (234, 36), 40 (237, 40), 43 (239, 2), 45, (239, 37—38), 47 (240, 25), 52 (243, 5), 54 (243, 24. 31. 39).

Nonnumquam etiam ea, quae prope supervacanea videri possint, Lucianus interclusione addit, cum aut vulgaris sermonis ambages imitetur [dial. mer. VII, 3 (448, 20)], aut cum vel ipse res fictas proferat [ver. hist. A. 5 (II, 42, 25)], vel aliquem commenticia narrantem inducat. Solent enim plerique, ut fictae res aliquam veritatis speciem offerant, stolida quadam astutia singula aliqua accurate addere, quae scire non multum interest. Sic cum in

libello, qui Philopseudes inscribitur, cap. 30 seqq. (I, 223 seqq.). Eucrates notam illam rem miram [1]) enarrans dixerit, se in occulto latentem verbum magicum audivisse, adicit: „erat autem trisyllabum" [*ἦν δὲ τρισύλλαβος* cap. 35 (I, 224, 2)]; simile in Toxaride interpositionis genus usurpatur, ut cap. 15 (227, 26) *ἐπεποίητο δὲ λίθου λευκοῦ*, et 61 (246, 21) *ἔτυχον γὰρ ἐν ὑπερῴῳ τινὶ κατοικοῦντες*. Sed quod stolidum artificium per iocum Lucianus optime imitatur, eo serio Toxaridis scriptor perperam utitur. Accedit etiam illud, quod quae a Luciano continuationi sermonis media interponuntur, etiamsi omitti possunt, bene tamen cum eo cohaerent, quae vero in Toxaride interclusione adduntur, ita inutilia sunt ut eis omissis melius etiam oratio procederet.

Alia perversae imitationis exempla.

Praeterea imitationis insulsitas in hisce maxime apparet:

Καταβὰς ἀπὸ τῶν ἰαμβείων necyom. 1 (304, 30), et *καταβὰς ἀπὸ τῶν θησαύρων* navig. 46 (353, 7) lepide et iocose detorquens locutionem *καταβαίνειν ἀπὸ τοῦ βήματος* scripsit Lucianus; seria oratione et inepte Lucianum imitans Toxaridis scriptor *καταβὰς ἀπὸ τοῦ λόγου* dixit 35 (235, 37);

tum *πλὴν ἀλλὰ καὶ τοῦτο ὡς νομοθέτῃ πειστέον σοι* iocose et facete apud Lucianum Anacharsis Soloni dicit [Anach. 18 (I, 293, 2—3)], nullus vero lepor inest in his, quae hoc imitans Toxaridis scriptor Scythen Mnesippo dicentem facit: *πειστέον καὶ ταῦτά σοι νομοθετοῦντι* 56 (244, 34);

deinde *τί σὺ λέγεις; οὐ δοκεῖ σοι ὁ κύων εἶναι θεός; κ. τ. λ.* festivissime Lucianus irridendi causa Socratem exclamantem facit vit. auct. 16 (259, 10); inepte Scythes in Toxaride serio dicit: *τί σὺ λέγεις; οὔ σοι δοκοῦσιν ὁ ἄνεμος καὶ ὁ ἀκινάκης θεοὶ εἶναι*; 38 (237, 13) confer praeterea:

Icarom. 8 (163 extr. sq.) *εἴ τινα ἴδοιμι μέγα φρονοῦντα, ὅτι δακτυλίους τε εἶχεν ὀκτὼ καὶ φιάλας τέτταρας, πάνυ καὶ ἐπὶ τούτῳ ἂν ἐγέλων,*

Tox. 46 (240, 10—12) *Ἀδυρμάχῳ δὲ τῷ Μάχλυϊ παρέδωκεν ἀπάγειν τὴν νύμφην, ὅτι χρυσᾶς τε φιάλας ἐλέγετο ἔχειν δέκα καὶ ἁμάξας τετρακλίνους ὀγδοήκοντα*, vid. supra p. 30 in.

---

[1]) Cf. Goethii carmen quod inscribitur der Zauberlehrling.

porro de merc. cond. 1 (II, 124, 16—17) *συνάμα πολλοὶ τὰς τρικυμίας καὶ ζάλας .... καὶ ἱστοῦ κλάσεις διεξιόντες* legitur; paullo aliter et ridicule Toxaridis scriptor 19 (229, 22) *τρικυμίας τινὰς καὶ στροβύλους καὶ χαλάζας* enarrat.

Denique non alienum videtur hoc loco addere locutionem, qua ad similem sententiam exprimendam apte Lucianus, inepte Toxaridis scriptor utitur (nam eum hac in re imitatum esse orationem Luciani dici non potest); Lucianus igitur Icarom. 23 (I, 165, 27) dicit *μικροῦ μὲν ἐξέθανον ὑπὸ τοῦ δέους* (paene exanimatus sum metu), et pro laps. in salut. 8 (II, 150, 34—35) *καὶ τοῦ Ἡφαιστίωνος ὀλίγου δεῖν ὑπ' αἰδοῦς ἐκθανόντος* (Hephaestione pudore paene exanimato); Anach. autem 25 (I, 297, 18) *τί ἂν τις .... χρήσαιτο — προαποθνήσκουσι πρὶν ἐντὸς βέλους γενέσθαι* (qui priusquam in teli iactum venerunt, moriuntur) a cavillante Anacharside res apte augetur [1]); in Toxaride vero 60 (246, 2) Scythes haec: *ἐγὼ δὲ προετεθνήκειν ἤδη τῷ δέει* (ego vero timore iam antea mortuus eram, ich aber war vor Furcht schon vorher gestorben) ita magnifice dicit, ut ridicula sint.

Omnino Toxaridis scriptor orationem Luciani serviliter imitatur.

Postquam autem demonstravi, quomodo lepide a Luciano dicta Toxaridis scriptor inepte detorquens insulsa protulerit, iam omnino mihi ostendendum est, quam serviliter ille orationem Luciani imitatus sit.

Initia dialogorum.

Atque ita cum interdum apud Lucianum initium dialogi eiusmodi sit, ut sermo non oriri sed continuari videatur:

Anach. (I, 287, 1) *ταῦτα δὲ ὑμῖν ὦ Σόλων τίνος ἕνεκα οἱ νέοι ποιοῦσι;* dial. deor. XXIII (120, 28), navig. (338, 7), dial. meretr. VIII (449, 10), XIII (458, 25),

simile Toxaridis initium est: ***Τί φῂς ὦ Τόξαρι;***

Etiam ipsa verba *τί φῄς;* saepe apud Lucianum leguntur, ut: vit. auct. 21 (I, 260, 35), necyom. 2 (305, 15), Tim. 7 (391, 38), Bis acc. 9, (II, 5, 9).

---

[1]) Non minus recte se habent haec, quae dial. deor. II, 1 (I, 96, 1) leguntur: *ἐμὲ δὲ ἣν ἴδωσι τεθνᾶσιν ὑπὸ τοῦ δέους* (me autem cum primum conspexerunt, mortuae sunt timore); dicit enim Iupiter, puellas re vera mori, et extemplo quidem; quamquam etiam si nullas cum conspicatas mortuas esse a Graecis creditum esset, indignabundo rem augere licebat.

Perfecti et plusquamperfecti usus.

Tum plusquamperfecto et perfecto saepissime utitur Lucianus, nonnumquam quidem eo consilio, ut vigor quidam et celeritas agendi significetur, multo saepius autem etiam tum, cum consuetudine Graeci sermonis aoristus poni debebat. Exempla innumerabilia sunt, potissima haec fere:

a) Plusquamp. et perf. pro aoristo:

Her. 6 (I, 12, 21) ἤρα ..... καὶ οὐκ ἐπιλέληστο, Phal. I, 3 (43, 27), 6 (44, 29), iud. voc. 4 (59, 15), Zeux. 1 (62, 7), rhet. praec. 5 (67, 16), dial. marin. V, 1 (86, 1), XIII, 2 (92, 2), XV, 2 (93, 35), dial. deor. (XX, 1 (113, 5), 2 (113, 21), Icarom. 11 (160, 15), 19 (164, 16), 20 (164, 20), 24 (166, 9), Herm. 3 (171, 14), 11 (174, 37 et 40), 33 (185, 4), 34 (185, 26), 71 (202, 32), 81 (207, 2), 82 (207, 28) philops. 6 (211, 26 et 28), 24 (219, 17), 31 (222, 15), eun. 4 (227, 3), 8 (228, 9 et 10), symp. 6 (231, 17), 14 (232, 11 et 13), 15 (233, 15 et 34), 16 (233, 37 et 234, 11), 20 (235, 4), 31 (237, 25), 35 (238, 28), 38 (239, 29 et 30), 46 (242, 2), fug. 8 (245, 12), piscat. 2 (226, init.), 45 (281, 18), Anach. 18 (292, 34, 35, 37), 29 (299, 6), nav. 1 (338, 23), dial. mort. XVII, 2 (375, 38), XXVII, 2 (385, 15 et 17), Tim. 49 (404, 9—10), gall. 4 (409, 37), 9 (411, 40), 10 (412, 22), dial. meretr. IV, 2 (442, 27), 3 (443, 3), IX, 1 (450, 24), 2 (450, 35), XII, 3 (457, 32).

Bis acc. 4 (II, 3, 14 et 16), 5 (3, 26), 21 (11, 14), 32 (15, 36), scrib. hist. 30 (32, 36), ver. hist. A. 4 (42, 8), B. 3 (57, 3), 39 (68, 5), Alex. 13 (76, 16), 15 (77, 5), 16 (77, 22), 19 (78, 12), 25 (80, 13 et 25), 28 (81, 24—25), 33 (82, 38 et 39), 35 (83, 12), 36 (83, 28), 53 (88, 35), 56 (89, 36, 90, 1—2), 61 (91, 18), de mort. Peregr. 10 (93, 29), 12 (94, 4), 14 (94, 35), 21 (99, 24), 35 (100, 21), adv. indoct. 9 (107, 2), de apophr. 13 (117, 15), merc. cond. 1 (124, 6 et 10) 33 (138, 24), pro merc. cond. 14 (147. 31).

b) Inf. perf. pendens ex verbis δεῖ, χρή (ψῆφον τίθεσθαι, βούλεσθαι, ἀξιοῦν, ἐπείγειν, δίκαιον, ἀνάγκη, ἄμεινον, εἰκός ἐστιν, καλῶς ἔχει), ita ut celeritas et vigor quidam agendi significetur:

Prom. siv. Cauc. 1 (I, 75, 23), προςηλῶσθαι δεήσει, v. 28 ἀνεσταυρῶσθαι χρή, 4 (76, 33), 9 (78, 15), dial. marin. XIV, 3 (93, 5), dial. deor. XXIV, 2 (122, 14), Herm. 8 (206, 36), eun. 6 (227, 19), vit. auct. 13 (257, 33), pisc. 2 (266, 3), 5 (267, 9), Anach. 23 (296, 16), navig. 44 (352, 11), dial. mort. IV, 1 (356, 24), XII (367, 10), gall. 4 (409, 35, 36), Saturn. 1 (424, 4), dial. meretr. IV, 4 (443, 25).

Bis acc. 14 (II, 8, 8), 25 (13, 9), 32 (15, 37), de mort. Peregr. 21 (97, 3), de apophr. 21 (119, 30).

c) Imperat. perf. pass.:

Prom. siv. Cauc. 1 (I, 75, 31) ἀνεσταυρώσθω, Herm. 81 (207, 2),

philops. 36 (224, 7), pisc. 2 (266, 6 et 7), Anach. 17 (229, 28), dial. mort. XII, 7 (361, 39).

d) Perfectum idem atque praesens valens:

Bacch. 55 (I, 22, 19) πεπίστευκα credo, confido, Char. 22 (324, 13), Saturn. 5 (426, 6), Alex. 30 (II, 85, 5), de apophr. 8 (116, 4), pro laps. in salt. 3 (149, 16), πεφρόντικα sollicitus sum.

Idem perfecti et plusquamperfecti usus in Toxaride invenitur.

a) 7 (223, 35), 8 (224, 7 et 12), 10 (225, 8), 16 (227, 36—37), 17 (228, 24), 23 (231, 19), 25 (232, 10), 27 (233, 6), 28 (233, 16—17 et 19), 29 (233, 27), 30 (233, 40), 32 (234, 30), 39 (237, 40; 238, 16), 44 (239, 17. 19), 46 (240, 16. 20), 50 (242, 11), 51 (242, 32), 52 (243, 5), 60 (246, 4. ὥστε αὐτίκα ἐπεπτώκει et 7).

b) δεῖ, χρή (οὐδὲν κωλύει, ἥδιόν μοι δοκεῖ, καιρός ἐστιν, ἐξεργάζεσθαι):

5 (222, 31—32) οὐδὲν κωλύει . . . κεκρίσθαι, 10 (225, 11), 11 (225, 22), 29 (233, 32), 32 (234, 43), 62 (246, 38; 247, 1).

c) 11 (225, 25) ὡρίσθω 29 ὡρίσθωσαν.

d) 1 (221, 2) πεπιστεύκατε, 3 (221, 3) νενομίκατε, credite. Cf. Herodot. lib. VIII, 79.

Medium pro activo.

Deinde medio verbo nonnumquam Lucianus et Toxaridis scriptor pro agenti verbo utuntur, quod veteres usurpare solent, ut ἐπικλείομαι pro ἐπικλείω dictum est:

Philops. 25 (I, 219, 28) ἐπικλεισάμενοι τὰς θύρας. Tim. 30 (398, 28—29), Saturn. 32 (436, 2).

Tox. 50 (242, 1) ἐπικλεισάμενοι τὰς θύρας.

Porro ἐπιβοᾶσθαί τινα (med.) significare solet, *auxilium alicuius implorare, cum clamore obtestari*; hoc autem verbum cum ὄνομα nomine coniunctum pro ἀναβοᾶν dictum est a Luciano:

fugitiv. 3 (I, 243, 26), bis acc. 29 (II, 14, 39), v. hist. A, 42 (55, 26).

Tox. 15 (227, 25—26) καὶ τοὔνομα τῆς Χαρικλείας ἐπεβοᾶτο.

Activum pro medio.

E contrario autem interdum agenti verbo contra communem consuetudinem sermonis Graeci uterque utitur, ut δεινὰ ποιεῖν (active) [1]),

de merc. cond. 24 (II, 134, 24) ἐβόας ἂν τοὺς νόμους καὶ δεινὰ ἐποίεις.

Tox. 33 (235, 13) ἐβόα δὲ ὁ Δημήτριος καὶ δεινὰ ἐποίει.

---

[1]) Allata sunt in hac parte etiam nonnulla, quibus Lucianus non solus, sed potissimum uti amat, quae ergo Toxaridis scriptor ex eius scriptis sumpsisse videtur, deinde alia, quae omnino perraro et maximam partem apud posteriores demum scriptores inveniuntur.

itemque *παῦε* pro *παύου* coniunctum cum participio legitur apud Lucianum:

Iupit. trag. 33 (I, 148, 24), gall. 4 (409, 22), 6 (410, 40), aliis in locis.
Tox. 53 (243, 13).

Participia diserte adduntur.

Tum diserte ab utroque participia verbis finitis adduntur, primum part. aor. med. verbi, quod est *αἴρω*:

dial. deor. XIII, 2 (I, 107, 31), Char. 4 (315, 20), 8 (317, 29), Tim. 21 (396, 11), 55 (406, 8), de scrib. hist. 24 (II, 30, 7), Alex. 56 (90, 1).
Tox. 25 (232, 17), 26 (232, 26), 60 (246, 7, 26);

deinde part. aorist. act. *παραλαμβάνειν* verbi:

Scyth. 4 (I, 17, 34) *σύ με παραλαβὼν ξενάγησον*, rhet. praec. 10 (98, 28) *μή σε ἐκτραχηλίσῃ που παραλαβών*, 11 (70, 11), Iup. trag. 7 (138, 22), Icarom. 27 (167, 21), philops. 16 (215, 34), vit. auct. 9 (256, 3), Anach. 7 (293, 7).
Bis acc. 4 (II, 4, 31) cf. d. mort. Peregr. 14 (95, 3).
Tox. 59 (245, 25) *παραλαβὼν γάρ με . . . . ἄγει.*

Τηρέω cum participio coniunctum.

Alius utrique participii usus communis hic est:

τηρέω cum part. coniunctum reperitur apud Lucianum de dips. 2 (I, 8, 16) *ὕοντα τὸν θεὸν τηρήσαντες*, philops. 14 (214, 37), 20 (217, 28), dial. meretr. VIII, 3 (450, 12—13).
Bis acc. 20 (II, 10, 32).
Tox. 60 (246, 3);

Παρέχειν ἑαυτὸν cum participio futuri temporis coniunctum.

similiter *παρέχειν ἑαυτὸν* cum participio futuri temporis coniunctum legitur apud Lucianum:

Prom. siv. Cauc. 1 (I, 76, 5) *πάρεχε σεαυτὸν καταπαγησόμενον πρὸς τὸ ὄρος*, dial. mort. XIV, 1 (371, 21—22);
de merc. cond. 25 (II, 135, 27);
Tox. 35 (236, 12) *παρέσχεν ἑαυτὸν δεδησόμενον.*

Μόνος adiectivum pro *μόνον* adverbio ponitur.

Cumque *μόνον* adverbium nonnumquam Graeci scribant, ubi rectius *μόνος* adiectivum poni videtur, contra Lucianus saepe adiectivo utitur, ubi non minus recte vel etiam rectius adverbium ponatur, cf. Kruegeri Graec. linguae Grammat. 57, 5, 3, qui tamen non accurate de hac re disputat, cum eandem esse differentiam dicat inter usum *μόνον* adverbii et *μόνος* adiectivi, atque inter

„*πρῶτον*“ et „*πρῶτος*“; *μόνον* enim adverbio aut universa notio alii notioni diversae, aut certa quaedam res aliis eiusdem generis rebus, aut complures res pluribus opponuntur rebus, *μόνος* autem adiectivo aut notio ipsa per se, aut certa quaedam res, aut certus numerus rerum singulaeque res potissimum premuntur. Ita *τῶν ὀφθαλμῶν μόνον ἡγεῖσθαι τὴν διαμαρτίαν* significat: oculorum solum, non alius rei (mentis, consilii) culpam esse putare; *τῶν ὀφθαλμῶν μόνων ἡγεῖσθαι τὴν διαμαρτίαν* [dial. deor. XX, 9 (115, 37)]: credere solos oculos esse, quorum culpa sit. Itemque *ταύτην μόνον τὴν ἐλπίδα εἶχεν* est: hanc tantum (neque aliam ultra) spem habebat; *ταύτην τὴν ἐλπίδα μόνην εἶχεν*: sola haec fuit spes, quam habebat, unicam hanc spem habebat; similiter *πέντε μόνον ἡμέρας ἐπεβίω* est: quinque tantum dies ultra vixit, non plures; *πέντε μόνας ἡμέρας ἐπεβίω*: soli quinque dies erant, quos superstes erat; sequitur quidem, ut non plures fuerint, sed id minus diserte exprimitur, quam si adverbium ponitur; res igitur persaepe ad idem redit, et tantum dicendi genus differt. Adiectivi autem usum quaesitum quendam atque rariorem Lucianus praefert, ut iam dixi, similiterque qui eum imitatus est Toxaridis scriptor, cf.

de dom. 5 (I, 29, 23. 25), 9 (31, 6), musc. enc. 3 (40, 7), *τοῖς μὲν τέτταρσι βαδίζει μόνοις.* Prom. sive Cauc. 14 (79, 34), dial. deor. XX, 9 (115, 37) *μόνων τῶν ὀφθαλμῶν*, 10 (116, 9), Icarom. 14 (162, 4), philops. 23 (218, 34), 29 (221, 16) *τὰς τῶν βιαίως ἀποθανόντων μόνας ψυχάς περινοστεῖν*, 31 (222, 17—18), symp. 34 (238, 23), fug. 13 (246, 19), vit. auct. 23 (262, 15), catapl. 9 (329, 36) *ἐπιβιοὺς πέντε μόνας ἡμέρας*, 17 (333, 15) *μόνοις τοῖς δακτύλοις πλουτῶν.*

Bis acc. 1 (II, 1, 1), 14 (8, 1), de conscrib. hist. 20 (28, 30), v. hist. A. 30 (51, 12), de merc. cond. 9 (128, 23).

Tox. 21 (230, 16—17) *ταῦτα μόνα εἶχε λέγειν*, 23 (231, 5) *πέντε μόνας ἡμέρας ἐπιβιοὺς ἀπέθανεν*,

cf. Long. Past. I, 30 (I, 260, 11—12) *περὶ δὲ τὴν νῆξιν ἔκαμεν οἷα πρότερον νηχόμενος ἐν ποταμοῖς μόνοις.* Ach. Tat. IV, 8 (89, 2), VI, 16 (144, 27), VIII, 2 (170, 10) ut saepe praeterea apud posteriores.

Articulus inter adiectivum et substantivum ponitur.

Proprium hoc quoque Luciani est, quod multo frequentius quam alii scriptores articulum inter adiectivum et substantivum ponit, et ita quidem, ut articulus nonnumquam adiectivum antecedere, multo saepius integra sententia omitti possit. Oratio

tamen elegantior interdum est, si articulus adiectivum sequitur, quam si praeponitur, quaesita saepe magis videtur, si articulus usurpatur, quam si omittitur. Sic Herc. Gall. 4 (I, 24, 32) verba: *μόνος ὁ λόγος ἐν γήρᾳ φιλεῖ ἐντελῆ ἐπιδείκνυσθαι τὴν ἀκμὴν* valent: „sola oratio senescens vigorem suum ostendere amat perfectum" (in ganzer Fülle), cum *ὁ λόγος ἐν γήρᾳ φιλεῖ ἐπιδείκνυσθαι τὴν ἐντελῆ ἀκμὴν* esset: „ostendere amat perfectum vigorem suum"; in somnio autem 2 (I, 3, 24) *χρηστὰς εἶχον ἐπ' ἐμοὶ τὰς ἐλπίδας* est: „et spes, quas de me habebant, bonae erant" (ihre Hoffnungen, die sie in Betreff meiner hegten, waren gut); *χρηστὰς ἐπ' ἐμοὶ ἐλπίδας εἶχον* esset simpliciter: „bonas de me spes habebant." Atque huius loquendi consuetudinis exempla apud Lucianum plurima leguntur, potissima autem haec fere sunt:

de dips. 1 (I, 8, 11), 2 (8, 21 et 27), de dom. 18 (33, 22), 21 (34, 21), Hipp. 6 (38, 9), 7 (38, 21), tyrannic. 7 (52, 22. Bekk. om. art.), rhetor. pr. 3 (66, 23), 7 (68, 17), Iup. conf. 7 (131, 33), 19 (143, 14), 33 (148, 14), 34 (148, 32), 36 (149, 19), Icarom. 4 (157, 14. 22), 13 (161, 10—11), 17 (163, 25—26), Herm. 1 (170, 14), 5 (171, 37), 60 (197, 30), philops. 6 (211, 23), 8 (212, 24. 37), 24 (218, 39), sympos. 3 (230, 20), 7 (231, 20), 44 (241, 16), fug. 1 (243, 8), 10 (245, 22), 14 (246, 25—26), pisc. 1 (265, 24), 20 (272, 20), Anach. 25 (297, 20—21), 35 (301, 31), Menip. 18 (312, 10), Char. 16 (321, 36), catapl 24 (336, 8), navig. 1 (341, 21), dial. mort. X, 12 (365, 27—28), XII, 3 (368, 22), XXVI, 2 (384, 22), Tim. 7 (391, 36—37), 34 (405, 32—33), gall. 6 (410, 17), 7 (411, 32), 21 (418, 26), Sat. 16 (430, 12), 28 (434, 29), dial. meretr. XIII, 2 (459, 9).

Bis acc. 1 (II, 1, 13), 11 (5, 33), 21 (11, 11. 15), 34 (17, 23—24), de conscr. hist. 2 (21; 15—16), 4 (21, 27), 5 (22, 7), 7 (23, 5), 11 (25, 1), 34 (33, 38), 35 (34, 18), v. hist. A. 6 (42, 33), B. 20 (62, 4), Alex. 3 (72, 24), 14 (76, 24), 17 (77, 32), 22 (79, 21), 39 (84, 21. 22. 24), de mort. Peregr. 21 (96, 29), de apophr. 9 (116, 20), de merc. cond. 12 (129, 28), 22 (133, 30), 23 (134, 14), 27 (136, 34), 34 (139, 11), pro merc. cond. 4 (144, 18), 8 (145, 22), 11 (146, 29).

In Tox. eiusdem generis loquendi haec potissima exempla sunt: 4 (222, 16) *ὅτι τὸ σεμνὸν καὶ θεῖον ἄλλο ἐξειργάσαντο*, 10 (225, 7), 11 (225, 14—15), 19 (229, 24), 20 (229, 36) *μεγάλῳ τῷ πνεύματι*, 29 (233, 36), 35 (235, 38), 38 (237, 21), 41 (238, 27), 56 (244, 31), 60 (246, 1) *καμπύλῳ τῷ ξίφει*.

Pronominum usus idem utrique scriptore.

Pronominum quoque usus Luciano et Toxaridis scriptori simillimus est; ita *οὗτος* pronomen *δεικτικῶς* diserte additur a Luciano:

Harmon. 2 (I, 14, 26) ὁ γάρ τοι πολὺς οὗτος λεὼς αὐτοὶ μὲν ἀγνοοῦσιν, eun. 2 (226, 10—11) τὰ συνήθη ταῦτα,

a Toxaridis scriptore:

7 (223, 28) κατὰ τοὺς πολλοὺς τούτους ἀνθρώπους, 9 (224, 32) τοῖς κενοῖς τούτοις καὶ κωφοῖς προσωπείοις ἐοικότας, 37 (237, 2).

Deinde interdum Lucianus etiam in ea verborum compositione, quam attractionem vel assimilationem grammatici vocant, pronomen demonstrativum enuntiationi relativae includit:

Rhet. praec. 17 (72, 5—6) ἃς φασι ταύτας μελέτας, piscat. 6 (267, 23) αὐτὰ γοῦν ἅ φημι ταῦτα, navig. 46 (353, 18) τὸ γελάσαι ἐφ' οἷς ὑμεῖς ᾐτήσατε τοιούτοις οὖσιν, de merc. cond. 3 (II, 125, 10) καὶ μισθὸν τῆς φιλίας καὶ ὧν εὖ πάσχουσι τούτων λαμβάνειν οὐκ ὀλίγον ἐστιν.

Tox. 53 (243, 14—15) τὸ γὰρ χάριν ἐμοὶ ὁμολογεῖν ἐφ' οἷς ἔπραξα τούτοις.

Tum appositis, quae non ad totam antecedentem notionem, sed ad partem tantum pertinent (appositionem partitivam hanc compositionem verborum grammatici dicunt), genetivus αὐτῶν supervacuo et contra consuetudinem plurimorum scriptorum additur a Luciano:

Harmon. 2 (I, 14, 26—27) αὐτοὶ μὲν ἀγνοοῦσι τὰ βελτίω, βάναυσοι ὄντες οἱ πολλοὶ αὐτῶν, 3 (15, 15), necyom. 15 (310, 16) τοὺς δ' ἔτι νεαλεῖς καὶ συνεστηκότας καὶ μάλιστα τοὺς Αἰγυπτίους αὐτῶν, Saturn. 3 (425, 2–3).

Bis acc. 3 (II, 2, 36), v. hist. B. 39 (68, 11) οὐκέτι ὑπέμενον ἀλλὰ τρωθέντες οἱ πολλοὶ αὐτῶν, de merc. cond. 17 (131, 38), pro merc. cond. 5 (144, 29—30);

in Tox. 4 (222, 18—19) ἀποδείξαιμι τοὺς ἐμπόρους καὶ μάλιστα τοὺς φοίνικας αὐτῶν, 4 (222, 23—25) οὓς θεοὺς . . . νόμιζε, καὶ ταῦτα καπήλους . . . τοὺς πολλοὺς αὐτῶν ὄντας. 6 (223, 17) οὐδὲν ἀνύσαντες οἱ μὲν αὐτῶν τραυματίαι . . . ἀπονήχονται, cf. 20 (230, 1).

Particularum usus idem utrique.

Etiam particularum usus idem apud Lucianum et apud Toxaridis scriptorem reperitur;

Ἂν omissum.

ita omissa ἄν particula optativus insolenter usurpatus est:

a Luciano: Herm. 45 (I, 191, 7) πιστεύσαιμεν αὐτῷ, philops. 7 (212, 14, add. ἂν Bekk.), fug. 19 (247, 31, Bekk. γ' ἂν pro γοῦν), disp. cum Hesiod. 6 (286, 2, Bekk. ἄν pro ἐν), dial. mort. XII, 2 (367, 24, Bekk., add. ἄν), item XXIV, 2 (382, 35).

Tox. 6 (223, 6, Bekk. γ' ἂν οὖν pro γοῦν), 36 (236, 19, ibid. 36) itemque 62 (246, 38, Bekk. addit ἄν).

De γοῦν particula.

Tum saepissime a Luciano γοῦν particula pro οὖν vel δ'οὖν ponitur, itemque in Toxaride. Semel enim tantum in hoc dialogo restringentem simulque affirmantem sententiam adiungit 8 (224, 5) *ἐμοὶ γοῦν τέως ἄλλως γιγνώσκοντι*, semel idem quod γὲ particula significat 43 (239, 9) *τὸ γοῦν τοσοῦτον ἔφθη πατάξας*; in reliquis vero locis:

6 (223, 6, ubi Bekk. γ'ἂν οὖν coniecit), 10 (224, 36), 43 (238, 38 Bekk. δ'οὖν coni.), 48 (241, 6, Bekk. δ'οὖν) itemque 56 (244, 25),

γοῦν pro οὖν vel δ'οὖν usurpatur:

eadem significatio apud Lucianum his fere in locis γοῦν particulae subiecta est:

Scyth. 8 (I, 19, 6), de dom. 16 (32, 33, Bekk. τ'οὖν), Phal. I, 3 (43, 27), 8 (45, 27), Prom. s. Cauc. 4 (76, 30), dial. deor. XXIV, 2 (122, 14), deor. concil. 14 (128, 4, Bekk. δ'οὖν), Iupit. conf. 4 (130, 30), Iupit. trag. 2 (136, 25), 21 (143, 38), Icarom. 22 (165, 18), Herm. 77 (205, 22, Bekk. δ'οὖν), 86 (208, 35, Bekk. δ'οὖν), philops. 14 (214, 27), 16 (215, 13), 24 (219, 7. 17, Bekk. δ'οὖν), fug. 1 (243, 10), 4 (244, 6), 8 (245, 6, Bekk. δ'οὖν), 19 (247, 31, Bekk. γ'ἂν), (247, 38), pisc. 2 (265, 34), 5 (247, 14, Bekk. οὖν), 10 (268, 39, Bekk. οὖν), 11 (269, 16), 38 (279, 10), Char. 19 (322, 38, Bekk. δ'οὖν), catapl. 14 (332, 1), nav. 41 (351, 9), dial. mort. XII, 2 (367, 27), XXVI, 1 (384, 17), Tim. 20 (395, 37), 57 (407, 1, Bekk. δ'οὖν), gall. 6 (410, 24), 29 (423, 2), dial. meretr. V, 4 (445, 21), IX, 2 (451, 8, Bekk. δ'οὖν).

Bis acc. 11 (II, 6, 11), 21 (11, 38), de hist. consc. 23 (29, 23), v. hist. A. 31 (51, 29), Alex. 4 (73, 13), 44 (85, 36), 47 (86, 27), adv. ind. 23 (110, 36), de apophr. 4 (114, 32), de merc. cond. 19 (132, 13 Bekk. δ'οὖν), 41 (141, 29), pro merc. cond. 13 (147, 18), pro laps. in sal. 18 (152, 16) [1]).

Diversus utrique πάνυ γοῦν verborum usus.

Discrepant tamen scriptores in verborum πάνυ γοῦν usu; Lucianus enim ea usurpat, ut ironice aliquam causam addat, in seria autem oratione πάνυ γὰρ scribit,

cf. deor. conc. 11 (I, 127, 15), bis acc. 5 (II, 3, 24), adv. indoct. 16 (108, 31), de apophr. 13 (117, 18);

in Toxaride vero 8 (224, 7) verbis *πάνυ γοῦν ἐναργῶς* nullam inesse posse ironiam patet falsique sunt ei, qui Toxarim dialogum

---

[1]) Adscripsi in locis allatis Bekkeri emendationes: cum vero nihilominus permulta supersint exempla, in quibus γοῦν vim οὖν vel δ'οὖν particulae habeat, vereor ne nihil mutandum sit; cf. Aristaen. I, 13 (61, 12), 19 (94, 9), II, 2 (131 antepen.) alia praeterea; Achill. Tat. II, 15 (38, 22) aliaque multa.

Luciani esse arbitrati, ut scriptorem a consuetudine sua non recedentem haberent, etiam hic ironiam quandam quaesiverunt[1]).

De *πλὴν* particula.

Πλὴν autem vocabuli ut transeundi particulae usus cum apud Atticos scriptores vulgaris sit, paucos tantum ex Luciani scriptis et ex Toxaride afferam locos, in quibus *πλὴν* particula nihil aliud nisi *ἀλλὰ* valet, et paullo insolentius mihi videtur usurpata esse;

Charo 21 (I, 323, 40) *εὖ γε ὦ γεννάδαι· πλὴν πάνυ ὀλίγοι εἰσί.* 22 (324, 6), Tim. 10 (393, 10), 39 (401, 14);

Tox. 18 (229, 9) *πλὴν οὐ δέδια* ... 26 (232, 24) *πλὴν ἤδη γε τούτων* ... 35 (236, 7), 56 (244, 27).

Ἔτι καὶ pro *ἔτι δὲ* vel *ἔτι δὲ καί.*

Ἔτι καὶ pro *ἔτι δὲ* vel *ἔτι δὲ καὶ* dictum est apud Lucianum·

De dips. 6 (I, 9, 40), Prom. s. Cauc. 16 (80, 12), dial. deor. XIV, 2 (108, 24), philops. 5 (211, 11), 6 (211, 35), dial. mort. IX, 2 (361, 9), Sat. 4 (425, 16), 19 (431, 10);

De consc. hist. 10 (II, 24, 16), Alex. 47 (86, 32), adv. ind. 25 (111, 29); Tox. 19 (229, 24).

Καί που — καί, et *καί πού καί.*

Καί που — καί, verbis interpositis, et *καί που καὶ* nulla voce interiecta, leguntur apud Lucianum:

De dom. 19 (I, 33, 31) *καὶ πού τις αὐτὰς καὶ παρέπλευσεν,* deor. dial. VI, 5 (101, 28), Iup. trag. 44 (152, 37), fug. 13 (246, 23);

De merc. cond. 16 (II, 131, 12) *καί που καί,* 17 (131, 37), 39 (140, 26); in Toxaride: 15 (227, 17—18) *καί που καὶ ᾄσαι.*

De *καὶ* particulae in enuntiationibus finalibus usu.

Itemque *καὶ* coniunctione interdum fere nostrum „gar" significante eodem modo praecipue in enuntiationibus, quas finales grammatici vocant, utuntur et Lucianus:

Musc. enc. 12 (I, 42, 23) *μὴ καὶ δόξω κατὰ τὴν παροιμίαν,* dial. deor. XXI, 2 (119, 7), Iup. trag. 24 (144, 30), symp. 27 (236, 38), vit. auct. 22 (261, 24), pisc. 52 (284, 3), Char. 1 (314, 13) *ὥς τι καὶ ἰδὼν ἐπανέλθοιμι,* catapl. 17 (333, 20) *ἵνα καὶ ἀνιμήσηται,* navig. 33 (348, 10), dial. mort. XX, 6 (379, 27), XXVII, 9 (387, 11) *μή καί τις ἡμᾶς ὑπίδηται,* de merc. cond. 18 (II, 132, 10).

---

[1]) Cf. Fritzsche: Quaest. Lucian. pag. 87, quem auctorem Iacobus produxit; mihi librum inspicere non licuit.

Cf. Prom. s. Cauc. 4 (I, 76, 30), dial. meretr. VI, 3 (446, 35) ἦν δέ ποτε καὶ ἀπέλθῃ, multis aliis in locis καὶ ita usurpatur;

et Toxaridis scriptor:

18 (229, 7—8) ἵνα καὶ ἀπιστεῖν ἂν ἐδυνάμην, 19 (229, 30), 50 (241, 37) μή καί τις ὑπίδηται τῶν ὁρώντων, 56 (244, 35), 35 (236, 1) εἴ τι καὶ τῆς δεξιᾶς πεφρόντικας.

Καὶ νὴ Δία.

Deinde *καὶ νὴ Δία* verbis maius aliquid iocose et festive Lucianus adiungit:

Somn. 2 (I, 3, 21) ἢ καὶ νὴ Δί' ἀνθρώπους, rhet. praec. 20 (72, 35), de conscr. hist. 10 (II, 24, 20), 14 (25, 36), cf. de apophr. 13 (117, 16);

Tox. 35 (236, 12).

Οὐδὲ γὰρ οὐδέ.

Tum *οὐδὲ γὰρ οὐδὲ* legitur apud Lucianum:

Hermot. 28 (I, 182, 15), navig. 11 (341, 20), Sat. 34 (436, 31), de conscr. hist. 51 (II, 38, 15);

in Tox. 36 (236, 18).

De *μᾶλλον δὲ* vocibus.

Denique nonnumquam a Luciano *μᾶλλον δὲ* vocibus, quae tam saepe apud eum occurrunt, ut paene taedium afferant, enuntiationes ita adiunguntur, ut aut institutus sententiarum ordo cursusque orationis mutetur,

Scyth. 6 (I, 18, 21), de dom. 14 (32, 8), 21 (34, 17), Zeux. 1 (62, 4), rhet. praec. 12 (70, 12), deor. cons. 19 (129, 6), Iup. trag. 33 (148, 10), fug. 3 (243, 25), dial. meretr. II, 1 (439, 29);

aut enuntiatio quae antecedit, media interrumpatur;

Icarom. 3 (I, 157, 2), dial. meretr. II, 3 (440, 13);

atque hoc etiam Toxaridis scriptor imitatur,

38 (237, 7) . . . μᾶλλον δὲ πρότερον ὀμοῦμαι, 57 (244, 35) μᾶλλον δὲ ἄκουσον ἐμοὶ αὐτῷ οἷα φίλος . . . ὑπηρέτησεν:

haec vero male ita adiunguntur, quasi Toxaris iam aliam narrationem inceperit, aut saltem indicaverit, alios se amicos prolaturum esse, atque se et Sisinnen, cum tamen in hanc tantum sententiam locutus sit: obtemperandum esse atque breviter rem enarrandam.

Vocabula rara utrique scriptori communia, vocabulis eadem vis subiungitur.

Multa etiam vocabula, quae partim raro, partim omnino apud alios non inveniuntur, utrique scriptori communia sunt, et vocibus eandem vim subiungunt, verborumque compositione eadem utun-

tur. Afferenda autem primum sunt quae apud alios quoque scriptores maxima tamen ex parte raro inveniuntur haecce:

Verba *ἀμπέχεσθαι, ἐνδύνειν* similiaque coniuncta sunt cum neutro plurali adiectivorum, qualia vestimenta sint, significantium apud Lucianum:

Tim. 27 (I, 397, 38) *ποικίλα ἐνδύς*, gall. 6 (410, 39) *χρυσᾶ πάντα περιβεβλημένος*, 14 (414, 26) *ἁλουργῆ καὶ ὑσγινοβαφῆ ἀμπεχόμενος*,
de merc. cond. 42 (II, 142, 9) *ποικίλα ἀμπεχομένη*,
Tox. 26 (232, 27) *μέλανα ἀμπεχόμενον.*

Ἀμφίβολος, is qui animo fluctuat,
dial. deor. XX, 11 (I, 116, 30),
Tox. 13 (226, 33), cf. Arrian. ap. Suid. v. *ἀμφίβ.*: *ὁ Παμπρέτιος τούτοις ἀμφίβολος ὀφθεὶς βραχὺ παρεωρᾶτο*: Alciphr. I, 8, 1. 4.

Ἀνώμοτος passive usurpatur:
dial. marin. X, 1 (I, 90, 2) *ἡ νῆσος αὕτη ἀνώμοτός ἐστιν*, cf. Demosth. de fals. leg. §. 226 edit. Bekk. (Reisk. p. 404 antepen.) *ἀνώμοτος εἰρήνη*,
Tox. 42 (238, 31) *φίλους ἀνωμότους.*

Ἀποκλείω pro *ἐπικλείω* (*τὴν αὔλειον*), quod veteres usurpant:
dial. meretr. XII, 3 (I, 457, 31) *τὴν αὔλειον ἀποκεκλεισμένην εὗρον*,
Tox. 17 (228, 15) *τὴν αὔλειον ἀποκλείειν ἐκέλευεν*; cf. Ach. Tat. VI, 10 141, 11) *ἀποκλ. τὰς θύρας.*

Legitur tamen etiam apud Theocr. idyll. 15, 43 *τὰν αὐλείαν ἀπόκλαξον.*

Ἀπολείπω, moriens relinquo,
catapl. 14 (I, 332, 8) *ἀπολιπὼν χρυσὸν τοσοῦτον*, dial. mort. XXVII, 9 (386, 40) *πολλὴν τρυφὴν ἀπολιπόντα τεθνάναι*, IX, 3 (361, 38) *κληρονόμον ἀπολιπεῖν τινα*, XIII, 4 (370, 30) *εὐδαιμονίαν ὑπὲρ γῆς*; cf. Plut. Themist. 32 in. *ἀπολιπὼν δὲ παῖδας.*
Tox. 22 (230, 31) paullo insolentius et durius *Ἀρεταίῳ ἀπολείπω τὴν μητέρα τρέφειν*; 22 (230, 28) *διαθήκας ἀπέλιπεν.*

Ἀποπληρόω ὑπόσχεσιν,
Hippias 3 (I, 37, 12), pro merc. cond. 15 (II, 148, 7);
Tox. 51 (242, 15), cf. Herodian. II, 7, 2 *ἀποπληρῶσαι ἃ ὑπέσχετο.*

Ἀποσείομαί τινα, me divello ab aliquo,
Hermot. 23 (I, 180, 2) *ἀποσεισάμενος αὐτούς*, dial. meretr. IV, 2 (442, 29), IX, 2 (451, 17), XII, 2 (459, 8) *ἐπιλαμβανομένους ἀποσεισάμενος.*
Tox. 61 (246, 25) *γυναῖκα ἐκκρεμαμένην ἀποσεισάμενος.*

Ἁρμοστής, praeses provinciae,
de mort. Peregrini 9 (II, 93, 24).
Tox. 17 (228, 28).

Δεῖσθαι attribuitur rebus,
somn. 5 (I, 415—16) *τὰ μετὰ ταῦτα δὲ ..... φιληκόων ἀκροατῶν δεόμενα,*

de dom. 21 (34, 22—24) *τῆς τέχνης τὸ ἀκριβὲς πεπαιδευμένων θεατῶν δεόμενον*, rhet. praec. 7 (68, 15), Iup. trag. 33 (148, 14), Hermot. 61 (197, 30), de conscr. hist. 5 (II, 22, 7), de merc. cond. 8 (128, 19).

Tox. 28 (243, 8—9) *ὃ δὲ ἐν τοσούτῳ συμφορᾷ ἐχρήσατο μάλα γενναίου τινὸς φίλου δεομένῃ.*

Ἀποδέω personaliter dicitur disput. cum Hes. 8 (I, 286, 17—18) *μαντικῆς δὲ πάμπολυ ἀποδεῖν μοι δοκεῖ*, cf. Thes. Steph. ed. Lond. exempla Plutarchi.

Tox. 12 (226, 12) *φιλίας πλεῖστον ὅσον ἀποδέοντας.*

Δεσμοφύλαξ raro usurpatur et a posterioribus tantum,

de mort. Peregr. 12 (II, 94, 10).

Tox. 31 (234, 19).

Δρομαῖος ἔρχομαι,

philops. 6 (I, 212, 3), bis acc. 1 (II, 1, 16) *μεταβαίνει δρ.*, Alex. 14 (76, 36—37) *δρ. ἵετο.*

Tox. 30 (233, 39).

Ἐντέμνειν raro pro *ἐπιτέμνειν* dicitur,

gall. 26 (420, 37) *τοὺς δακτύλους ἐντεμόντα,*

Tox. 37 (236, 36) *ἐντεμόντες τοὺς δακτύλους.* *Ἐπιτέμνειν* usurpatur Demosth. 40, 32. Herod. I, 74 extr. III, 8, IV, 70 *ἐπιταμόντες μαχαίρῃ μικρὸν τοῦ σώματος*, cf. lexic. s. h. v.

Παιδείας ἐπιθυμίᾳ τῆς Ἑλληνικῆς ἀφίκετο ἐκ Σκυθίας,

Luc. Scyth. 1 (I, 16, 2), cf. dial. mort. XII, 3 (368, 15).

Tox. 57 (244, 37) *ὅτε γὰρ Ἀθήναζε ἀπῄειν οἴκοθεν ἐπιθυμίᾳ παιδείας τῆς Ἑλληνικῆς.*

Ἐπικλάομαι πρός τι, commoveor aliqua re,

pisc. 24 (I, 274, 1) *ἡ φιλοσοφία πρὸς τοὺς λόγους ἐπικλασθεῖσα*, navig. 9 (340, 28—29),

Tox. 26 (232, 29—30) *ἡ βουλὴ δὲ ἐπικλασθεῖσα πρὸς αὐτό.*

Ἐπίσκοπα τοξεύειν, Lucian. adv. ind. 5 (II, 105, 9).

ἄσκοπα τοξεύειν, Tox. 62 (247, 3).

Ἐπισπάομαι attraho, allicio,

Lucian. Scyth. 3 (I, 17, 12), de dom. 12 (31, 29), Iup. trag. 40 (150, 37), de conscr. hist. 9 (II, 24, 14—15) *πολλοὺς ἂν τοὺς ἐραστὰς ἐπισπάσαιτο*, cf. Alex. 7 (93, 12).

Tox. 13 (226, 32—33) *ἐπισπάσασθαι ἐραστήν.*

Ἐπισύρομαι (med.), traho aliquid ita, ut terram verrat;

Anach. 23 (I, 296, 12) *πέδας*, ver. hist. B. 46 (II, 70, 24—25) *ποδήρεις τοὺς χιτῶνας.*

Insolenter Tox. 19 (229, 24—25), *πλεῖν σπείρας τινὰς ἐπισυρομένους* cum non homines, sed navis funes trahat.

Ἐπιτείνω, torqueo amoris stimulis aliquem ita, ut maiore incendatur amore, intendo amorem alicuius:

dialog. meretr. IX, 4 (I, 452, 10), ἐπιταθήσεται ζηλοτυπῶν, conf. Parthen. erot. 23, 1 (p. 174 v. 17 ed. Westermann), ταύτῃ σφοδρῶς ἐπιτεταμένου τοῦ Κλεωνύμου.

Tox. 13 (226, 34) ἐνεχόμενον ἤδη ἐπιτεῖναι.

Εὐανθὴς vestibus attribuitur,

rhet. praec. 15 (I, 71, 14) εὐανθὴς ἐσθής, 16 (71, 28) πορφύρα, dial. meretr. VI, 2 (446, 28) χρυσὸς καὶ ἐσθῆτες εὐανθεῖς καὶ θεράπαιναι....

Tox. 15 (227, 30) καὶ θεράπαιναι καὶ ἐσθῆτες εὐανθεῖς καὶ χρυσὸν ὁπόσον ἐθέλησεν.

Εὔστοχοι λόγοι,

Herc. Gall. 6 (I, 25, 5—6) λόγοι — ὀξεῖς καὶ εὔστοχοι — καὶ τὰς ψυχὰς τιτρώσκοντες, symp. 12 (232, 27—28) εὔστοχα καὶ χαρίεντα ὑποτονθορύζοντες, cf. adv. ind. 15 (II, 108, 26) εὐστόχως ἂν εἰρημένον εἴη.

Tox. 11 (225, 14) πάνυ εὐστόχους καὶ τεθηγμένους παρεσκευασμένῳ τοὺς λόγους. (Hic tamen τεθηγμένοι λόγοι Latinorum *orationes acutae* sunt (scharf begrenzt, bestimmt, treffend) cum graece τεθηγμένοι λόγοι sint *acria*, *acerba* dicta. Cf. Aesch. Prom. 313. (ed. Herm.), εἰ δ' ὧδε τραχεῖς καὶ τεθηγμένους λόγους ῥίψεις et quae Stanl. (appar. critic. et exeg. in Aesch. trag. Halae 1832 tom. I p. 44) ad Aeschyli verbum ex Psalmatis attulit; deinde Soph. Aiac. v. 581 οὐ γάρ μ' ἀρέσκει γλῶσσά σου τεθηγμένη; atque sic Lucianus quoque verbo utitur, nam hist. conscr. 43 (II, 36, 28—29) verbis τὴν ἄλλην τῆς ῥητορείας δεινότητα μὴ κομιδῇ τεθηγμένος addit ἀλλ' εἰρηνικώτερον διακείμενος.

Ἥκω coniunctum cum dativo casu eius, ad quem quis venit, aut cum dativo ethico, quem grammatici vocant, legitur apud Lucianum:

Scyth. 4 (I, 17, 30) ἥκω σοι μυρία παθών, Phal. I, 11 (46, 11—23) ἧκέ μοι κομίζων, Iup. conf. 16 (134, 15), Hermot. 82 (208, 3), philops. 5 (211, 4), 39 (225, 16), eun. 1 (225, 33) τί γελῶν ἡμῖν ἀφῖξαι, 1 (226, 1) ἐξ ἀγορᾶς μὲν ἥκω σοι, Char. 24 (325, 24), catapl. 8 (329, 5), dial. mort. VII, 2 (360, 17—18), gall. 8 (411, 17), de conscr. hist. 43 (II, 36, 25).

in Toxaride:

16 (228, 6—7) ἧκεν αὐτῷ τὴν τιμὴν κομίζων, 39 (237, 28) ἧκον δὲ ἡμῖν ἐπὶ τὴν χώραν, 50 (241, 31) οὐκ εἰς μακράν σοι ἥξω τὴν κεφαλὴν κομίζων, 51 (242, 25) καὶ νῦν σοι ἥκω παρὰ ...., 58 (245, 17—18) καὶ ἧκεν ἡμῖν ἀπὸ τοῦ μισθοῦ ἐπισιτισάμενος: hoc in loco dativus plur. ἡμῖν, qui, ut ex exemplis allatis facile intellegitur, cum ἧκεν coniungendus est atque ad Sisinnen solum referendus, quaesitus quodammodo est.

Κατὰ θέαν, visendi causa,

pr. merc. cond. 15 (II, 148, 9—10) ὁπότε κατὰ θέαν τοῦ ἑσπερίου ὠκεανοῦ .... ἐπιὼν ἐνέτυχες ἡμῖν.

Tox. 27 (233, 1—2) ἔτυχεν ἀποδημῶν κατὰ θέαν τῶν πυραμίδων καὶ τοῦ Μέμνονος.

Πολεμιστής, Lucianus: deor. dial. XX, 12 (I, 117, 2).
Tox. 11 (225, 14).

Παμμέγεθες κεχηνότα (κράνη), Luc. Anach. 23 (I, 296, 6).

Παμμέγεθες κεχηνότα (προσωπεῖα), Tox. 9 (224, 33).

Adiectivi quod est πολυτάλαντος liberiorem quendam usum habes apud Lucianum:

dial. mer. VII, 2 (1, 449, 4) γάμος πολυτάλαντος, nam Iup. trag. 7 (I, 138, 30) πολυτάλαντος τὴν ὁλκήν, merc. cond. 27 (II, 136, 34) κλήρους πολυταλάντους, pro merc. cond. 12 (147, 15) μισθὸς πολυτάλαντος, simplicior est adiectivi usus,

in Tox. 14 (227, 3) οἴκους πολυταλάντους.

Affertur in Thesaur. Paris. ex Athenaeo p. 588 c. πολυτάλ. ἐραστής, dives amator.

Saepius paene a Luciano πρᾶγμα nomen usurpatur, ubi pronomen demonstrativum neutrius generis poni possit, quam a Latinis „res" vocabulum.

Lucian. de dipsad. 9 (I, 10, 18—19) ὅσῳ γὰρ ἂν ἐπὶ πλέον παρίω ἐς ὑμᾶς, τοσούτῳ μᾶλλον ὀρέγομαι τοῦ πράγματος, Herod. 7 (12, 32), Harmon. 2 (14, 10. 23), Bacch. 5 (22, 24) τῷ παραδόξῳ τοῦ πράγματος τεθορυβημένος, Phal. I, 8 (45, 19), II, 2 (48, 14) ἱεροσυλία τὸ πρᾶγμά ἐστιν, tyrann. 5 (52, 7), rhet. praec. 13 (70, 29), 15 (71, 11), 19 (72, 33) τυραννὶς τὸ πρᾶγμα ἔστω, Prom. s. Cauc. 8 (78, 8), dial. mar. IV, 2 (85, 13), 3 (85, 29), V, 2 (86, 12), XV, 2 (94, 6), deor. dial. XXV, 1 (122, 30), deor. conc. 7 (126, 17), Iup. conf. 7 (131, 33), 8 (131, 38), Iup. trag. 5 (137, 29), 25 (144, 36. 40), Icarom. 10 (160 ,5), Hermot. 5 (171, 32), 35 (186, 1), 49 (192, 38), 59 (196, 27), philops. 5 (211, 6), 36 (224, 10), 39 (225, 6), eun. 13 (229, 16), symp. 1 (229, 25), 7 (231, 24), θεοῦ ἐπιδημία τὸ πρᾶγμα ἦν, 19 (234, 36), 35 (238, 28), 46 (242, 1), fug. 18 (247, 21), pisc. 26 (275, 1), 31 (276, 9. 15), Anach. 5 (287, 31) ἔμοιγε μανίᾳ μᾶλλον ἐοικέναι δοκεῖ τὸ πρᾶγμα, 6 (288, 8. 11), 19 (293, 29. 32. 36), 21 (295, 16), Char. 13 (320, 14), navig. 16 (343, 14) ἐπίδειξις ἔσται τὸ πρᾶγμα, dial. mort. I, 4 (354, 30), VI, 2 (358, 24), 3 (359, 1), VII, 1 (359, 35), XV, 3 (373, 26), XX, 5 (379, 17) εἰρωνείαν ᾤοντο τὸ πρᾶγμα εἶναι, XXI, 2 (380, 5), XXVI, 2 (384, 22), Tim. 29 (398, 24), 45 (402, 31) ἀγχόνη γὰρ ἂν τὸ πρᾶγμα γένοιτο, gall. 28 (422, 11—12), Sat. 7 (426, 21), 21 (432, 8), dial. meretr. I, 1 (438, 31), II, 1 (439, 21), V, 1 (444, 12), 3 (444, 35), 3 (445, 14), VIII, 3 (450, 12), XV, 2 (462, 29—30) μέθη τις ἦν καὶ παροινία τὸ πρᾶγμα.

Prom. in verb. 2 (II, 18, 14), de conscr. hist. 5 (22, 2. 19), 9 (23, 38), 11 (24, 38), 22 (29, 15), 57 (39, 28), Alex. 16 (77, 19), de mort. Peregr.

12 (94, 5) *συμφορὰν ἐποιοῦντο τὸ πρᾶγμα*, 18 (96, 2), 24 (97, 21), adv. ind. 22 (110, 25), 25 (111, 22), merc. cond. 22 (133, 37), 29 (137, 14), 30 (137, 31; 138, 1), 34 (139, 8), pro merc. cond. 11 (146, 26. 29);

in Toxaride similia sunt:

3 (222, 10), 15 (227, 24. 28) *καὶ λύττα ἦν ἀκριβὴς τὸ πρᾶγμα*, 17 (228, 21) *τῷ παραδόξῳ τοῦ πράγματος ἐκπεπληγμένος*, 17 (228, 2:), 22 (230, 38) *ἐν παιδιᾷ τὸ πρᾶγμα ἐποιοῦντο*, 33 (235, 16), 39 (237, 40).

Πρόδηλος eadem qua *κατάδηλος* vel *δῆλος* significatione a nullo saepius quam a Luciano usurpatur:

Hermot. 36 (187, 2), 37 (187, 17), 59 (197, 2), philops. 3 (210, 31), 8 (212, 24), fug. 24 (249, 3), pisc. 12 (269, 25), 13 (269, 36), necyom. 8 (307, 36), Char. 3 (326, 38), dial. mort. V, 1 (357, 34), IX, 3 (361, 29).

de conscr. hist. 13 (II, 25, 30), Alex. 20 (78, 29), adv. ind. 23 (110, 36), merc. cond. 8 (128, 9), pro merc. cond. 1 (142, 29), cf.

de domo 1 (I, 28, 4) *ἐπὶ προδήλῳ τῇ νόσῳ .... δοκεῖ μοι οὐκ ἂν τοῦ λουτροῦ ἀποσχέσθαι.* Iup. trag. 31 (147, 13) *ἐφ' οὕτω σαφεῖ καὶ προδήλῳ τῷ χρησμῷ.*

Tox. 35 (236, 13) *ἐπὶ προδήλῳ τῷ λυθήσεσθαι*; de hoc infinitivi usu infra videbimus.

Στενοχωρεῖσθαι, coartari in aliquo loco,

Iup. trag. 48 (I, 154, 4) *πολλοὺς ἐν μυχῷ στενοχωρουμένους.*

Tox. 29 (233, 33) *ἐν ταὐτῷ πολλῶν στενοχωρουμένων.*

Συγκεκρότημαι, exercitatus, callidus sum,

symp. 19 (I, 235, 1) *συγκεκροτημένος ἀνθρωπίσκος*, Anach. 29 (299, 10).

Tox. 13 (226, 36) *καὶ ὅλη συνεκεκρότητο ἁπανταχόθεν ἡ γυνή.*

Συμπερινοστέω,

symp. 13 (I, 233, 4), Char. 1 (313, 29), de conscr. hist. 16 (II, 27, 6).

Tox. 56 (244, 35) *μὴ καὶ κάμῃς ἡμῖν τῇ ἀκοῇ συμπερινοστῶν.*

Similiter, ut hic *συμπερινοστέω*, a Luciano verbum *συναποδημέω* figurate usurpatur, Icarom. 11 (I, 160, 29) *ἀναβὰς ἐπὶ τὴν σελήνην τῷ λόγῳ συναποδήμει.*

Συναπαίρειν verbo (simul solvere, simul abire) terminus, usque ad quem navi vectum est, additur a Luciano:

bis acc. 27 (II, 14, 17) *μέχρι τῆς Κελτικῆς συναπάρασα*,

spatium autem, quod percurritur, *ἀπαίρειν* verbo additum est Tox. 3 (222, 5) *καὶ τοσοῦτον ἀπὸ τῆς ἑαυτῶν ἀπάραντες*, verbum *ἀπαίρω* igitur ita ab utroque scriptore usurpatum est, quasi etiam vehendi notio ei insit.

Τελέω, perficio iter, Lucianus:

Hermot. 71 (I, 202, 32) *ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος εἰς Ἰνδοὺς τελεῖ*, Tim. 20 (395, 35).

Tox. 52 (243, 9) *ἐτέλεσεν ἐκ Μαχλύων ἐς Σκύθας.*

Quae tantum apud Lucianum et in Toxaride inveniri videntur.

Deinde tantum apud Lucianum et in Toxaride, quantum ex thesauris vocabulorum Graecorum cognovi, inveniuntur haec:

Ἀναπλεῖν κατὰ (τὸν Ἠριδανόν), d. electr. 2 (I, 26, 10).

Tox. 27 (233, 6) *ἀνεπεπλεύκει κατὰ (τὸν Νεῖλον).*

Ἀτρεμεῖν ἐᾶν,

Hermot. 35 (I, 185, 37), bis acc. 32 (II, 15, 38).

Tox. 10 (224, 37).

Αὖος, omnibus fortunis spoliatus,

Tim. 8 (I, 392, 15), dial. meretr. XIV, 1 (461, 3) *ἐπεὶ δ' ἐγὼ μὲν αὖος ἤδη ἀκριβῶς.*

Tox. 16 (227, 33) *εἶτα ὡς ἤδη αὖος ἦν.*

Ἐνδεῖν πρός τι, deesse (es bei einer Sache an sich fehlen lassen);

tyrannicid. 14 (I, 55, 14) *ἆρ' οὖν πρὸς τοῦτ' ἐνεδέησα;*

Tox. 18 (228, 33—34) *πρὸς οὐδὲν ἐνεδέησεν.*

Ἐπαναιρεῖσθαι φιλίαν, μῖσος significare solet, amorem benevolentiam *sibi conciliare*, odium *in se convertere*, ut Plato Lys. p. 219 a. *φιλίαν ἐπαν.* Diod. excerpt. 593, 44 (ed. Argentor. 1809 vol. X. p. 79. v. 15) *ὀργὴν* iram, indignationem *in se convertere.*

apud Lucianum hoc verbum significat *concipere*: Hermot. 85 (208, 29—30), *ἔχθραν τινὰ ἐξαίρετον πρὸς στωικοὺς ἐπανῃρημένον εἰρηκέναι* (singulari quodam odio in Stoicos concepto), similiter

Tox. 8 (224, 12), *φιλίαν δὲ μηδὲ πρὸς τοὺς οἰκειοτάτους ἐπανῃρῆσθαι.*

Ἐπιβαίνω πόδα τινί:

dial. meretr. IV, 5 (I, 443, 38), *ἐπιβῆναι τῷ ἀριστερῷ μὲν ἐκείνης τὸν ἐμὸν δεξιόν.*

Tox. 48 (241, 3) *ἐπιβὰς τῇ βύρσῃ τὸν δεξιὸν πόδα.*

Quae apud Suid. et in appendicibus ad Zenobii proverbia in v. *ἐπὶ βύρσης καθίζεσθαι* leguntur, ex Toxaride sumpta sunt; Michael. Apostol. accusativum dativo mutavit.

Καταπίπτειν πρὸς τὴν σελήνην, philops. 16 (215, 35),

Tox. 25 (232, 3).

Τὸ μέγιστον significare solet: quod maximum, quod caput est; apud Lucianum autem nonnumquam valet: summum, cum plurimum (höchstens);

necyom. siv. Menipp. 17 (I, 311, 27), *δίδωσι δὲ τὸ μέγιστον οὐ πλέον ποδός*, cf. Sat. 8 (427, 7),

Tox. 37 (237, 1) *ἐφεῖται δὲ τὸ μέγιστον ἄχρι τριῶν εἰς τὰς συνθήκας εἰσιέναι.*

Ῥήτραν (partes dicendi),

παραλαμβάνειν, Luc. pro merc. cond. 2 (II, 143, 21). Cf. Dem. de cor. §. 90 (*ψήφισμα Βυζαντίων*) *λαβὼν ῥήτραν.*

παραδιδόναι. Tox. 35 (235, 37).

Συννέω, Luc philops. 34 (223, 24), Tox. 20 (230, 9).

Pro *ἐν τούτῳ* Lucianus *ἐν τοσούσῳ* ponit:

symp. 15 (I, 233, 16), pisc. 21 (272, 36), navig. 33 (348, 18, Bekk. *ἐν τούτῳ*), Tim. 10 (393, 10), dial. meretr. IX, 1 (450, 23), ver. hist. B. 38 (II, 67, 38).

item Toxaridis scriptor: 22 (230, 35), 28 (233, 8), 47 (240, 24).

Locutiones utrique scriptori communes.

Etiam locutiones eaedem apud utrumque scriptorem inveniuntur:

Similis *εἰ τύχοι* locutionis usus apud utrumque scriptorem reperitur, nisi quod apud Lucianum eis, ad quae praecipue referenda est, praeponi solet,

Iup. trag. 47 (I, 153, 33) *ἀλλ' ὁ μὲν πρότονος, εἰ τύχοι, εἰς τὴν πρύμνην .... ἀποτέταται*, Icarom. 6 (158, 13), necyom. 16 (310, 31; 311, 9), navig. 44 (352, 9),

semel interposita reperitur,

d. m. cond. 3 (II, 125, 9) *ἐπὶ λευκοῦ ζεύγους, εἰ τύχοι, ἐξυπτιάζοντες*,

in Toxaride vero 4 (222, 24) postposita est.

Deinde uterque *οὐκ οἶδα* verbis sequente *εἰ* coniunctione, aut pronomine aut adverbio interrogativo uti amat:

Tox. 9 (224, 25) *οὐκ οἶδ' ὅπως* .... 18 (229, 5), 22 (230, 28—29) *οὐκ οἶδα εἰ*, 33 (235, 1—2) *οὐκ οἶδ' ὅθεν*, 39 (237, 35) *οὐκ οἶδ' ὅ, τι δόξαν*:

Lucian. Bacch. 5 (I, 22, 20) *οὐκ οἶδ' ὅ, τι δόξαν*, de conscr. hist. 16 (II, 27, 16) *οὐκ οἶδ' ὅ, τι δόξαν*, Iup. conf. 5 (I, 130, 33), Hermot. 63 (198, 15), 81 (207, 17), piscat. 29 (275, 25), dial. meretr. V, 1 (444, 8). — *τίς*, symp. 2 (230, 7) — *ὅτου ἕνεκα*, Iup. conf. 9 (132, 21);

Οὐκ οἶδ' ὅποι, dial. marin. III, 1 (I, 84, 19), philops. 36 (224, 16), pisc. 35 (278, 5).

Οὐκ οἶδ' ὅπως, dial. deor. XI, 1 (I, 106, 2), XX, 8 (115, 23), 15 (118, 13), deor. conc. 9 (127, 3), 10 (127, 8), 14 (128, 13), Iup. conf. 6 (131, 11), Icarom. 13 (161, 8), Hermot. 50 (193, 14), 70 (202, 19), 81 (207, 19), philops. 2 (210, 4), fug. 10 (245, 19), vit. auct. 21 (261, 5), piscat. 14 (270, 22), disp. cum Hesiod. 5 (285, 28), Anach. 16 (291, 30), 23 (296, 7), necyom. 1 (305, 6), 22 (313, 18—19), Char. 4 (327, 15), catapl. 14 (332, 11), 24 (336, 1), dial. mort. III, 1 (355, 35), VII, 2 (360, 8), XV, 4 (373, 31),

XVII, 1 (375, 21), Tim. 1 (390, 10), 20 (395, 34), 29 (398, 21), gall. 12 (413, 8), dial. meretr. VIII, 2 (449, 31), X, 2 (453, 7), XV, 2 (463, 5);

bis acc. 34 (II, 17, 13), adv. ind. 20 (109, 31). — πῶς, de merc. cond. 5 (127, 3);

Οὐκ οἶδα εἰ, deor. dial. XX, 13 (I, 117, 12), symp. 3 (230, 15);

Οὐκ οἶδ' ὅθεν, Iup. conf. 16 (I, 134, 15), Tim. 45 (402, 33), gall. 29 (422, 24).

Tum ὡς, οἷα (οἷον), εἰκὸς cum accusativo ita coniuncta, ut infinitivus ex ceteris intellegatur, leguntur apud Lucianum:

fug. 12 (I, 246, 2) οἵας (τέχνας) εἰκὸς τοὺς τοιούτους (videl. μανθάνειν), dial. mort. XII, 3 (368, 22) ὡς Λίβυν εἰκὸς ἦν, Saturn. 11 (428, 16) ὥσπερ εἰκὸς ἦν θεόν, conscr. hist. 26 (II, 30, 35);

Tox. 12 (226, 10) ὥσπερ εἰκὸς ἦν νεόπλουτον ὄντα, 29 (233, 29) οἷον εἰκὸς χαμαὶ καθεύδοντα.

Similis quoque usus ὅπερ ἐστὶ vel τοῦθ' ὅπερ ἐστὶ (ἦν) locutionis, invenitur apud Lucianum,

bis acc. 21 (II, 11, 21) καὶ τὸν μὲν πόνον, ὅπερ ἐστί, πονηρὸν οἠθεἰς, deor. dial. XX, 15 (I, 118, 9) ὁ δ' Ἵμερος αὐτῷ σοι περιχυθείς, τοῦθ' ὅπερ ἐστίν, ἱμεριόν τε θήσει καὶ ἐράσμιον, pisc. 36 (278, 19) τοῦθ' ὅπερ ἦσαν, πίθηκοι ἐγένοντο.

atque in Tox. 34 (235, 25) ἔστ' ἂν αὐτὸς ᾖ, ὅπερ ἐστίν, ἀρκεῖσθαι ὀλίγοις δυνάμενος:

nulla igitur ibi mutatione opus est; ὅπερ enim in exemplis, quae ex Luciano attuli, ad notionem sequentis adiectivi vel substantivi refertur, in Toxaride autem ad notionem sequentis participii, quod est δυνάμενος, ita ut locus sic fere ad verbum transferri possit: „dum ipse, id quod (re vera) esset, potens esset . . .“ (so lange er, was er eben [in der That] sei, im Stande wäre . . .)

Tum leguntur apud Lucianum verba μὴ γὰρ οὕτω μανείην, ὡς . . .

Phal. I, 11 (I, 46, 18), ἐγὼ δὲ μὴ οὕτω μανείην, ὡς . . ., deor. dial. V, 3 (99, 25), pisc. 37 (278, 26), dial. meretr. II, 4 (440, 36);

in Tox. 25 (232, 15) μὴ οὕτω μανείην, ὡς . . .

Deinde apud Lucianum dial. meretr. XI, 4 (I, 455, 34) ad verba μὴ σύ γε οὕτω ταχέως, „ἄπιθι“ ex antecedente ἄπειμι intellegitur,

cf. Eur. Phoeniss. 534—535 τί τῆς κακίστης δαιμόνων ἐφίεσαι | φιλοτιμίας παῖ; μὴ σύ γε . . .

Soph. Oed. Col. 1441 Πολυν. εἰ χρή, θανοῦμαι.

Ἀντιγ. μὴ σύ γ', ἀλλ' ἐμοὶ πιθοῦ.

Alciphr. III, 16, 3 (46, 7) Ach. Tat. V, 19 (121, 5) vid. annot. Iacobsii.

Similia leguntur Tox. 25 (232, 14—15): τοῦ δὲ „ἄπαγε“ λέγοντος, μὴ σύ γε, ὦ Ζηνόθεμι, μὴ οὕτω μανείην . . ., ubi tamen cum inter ἄξομαι (v. 13) et μὴ σύ γε interposita sint verba τὴν προῖκα δὲ . . . et τοῦ δὲ „ἄπαγε“ λέγοντος et propter sequentem primam personam (μὴ οὕτω μανείην) oratio impeditior est;

atque 50 (241, 37) *μή σύ γε ἐνταῦθα*, ubi si respexeris ipsa Lonchatae verba afferri, videbis, nullum antecedere verbum, ex quo ad *μή σύ γε* aliquid simul audiri possit; nam haec: *ἐπεὶ ἀνατείνας ἐς τὸν οὐρανὸν ἤθελεν ὀμνύειν* Mnesippi narrantis sunt, ex quibus nec Adyrmachus nec Lonchates ad *μή σύ γε* quicquam intellegere possunt; neque recte credo in tritis iam sermone formulis, quicquam ita, ut hoc loco *ἐνταῦθα* addi.

Deinde ad *μὴ μακρὰ μόνον* (*μέντοι*) dial. mort. XXX, 1 (I, 389, 13), Tim. 37 (400, 33) ex antecedente *λέγε* verbum facillime intellegitur.

Tox. 56 (244, 30), paullo durius *μή μακρὰ μόνον* dicitur.

Maiores orationis partes Toxaridis scriptor a Luciano furatus est, structuram verborum imitatur.

Maiores denique orationis partes a Luciano Toxaridis scriptor furatus est, totas fere enuntiationes ad verbum transcripsit, structuram verborum mire imitatus est:

Τοῦτο λεχθὲν οὐ μετρίως μου καθίκετο, Luc. de electro 3 (I, 26, 26), cf. Hermot. 83 (208, 13—14), bis acc. 21 (II, 12, 3—4), adv. ind. 27 (112, 12—13).

Καὶ ἡ ὕβρις οὐ μετρίως μου καθίκετο, Tox. 46 (240, 15—16).

Καὶ τί γάρ; ἐν βραχεῖ ... d. mort. Peregr. 11 (II, 93, 32—33).

Καὶ τί γάρ; ἐν βραχεῖ ... Tox. 15 (227, 31).

Καὶ γὰρ οὖν καὶ τόδε πῶς οὐ ταπεινόν ... navig. 40 (I, 350, 31—32).

Καὶ γὰρ οὖν καὶ τόδε ὅπως εἰδῇς, Tox. 7 (223, 31).

Καί μοι ἐννόησον ... de conscr. hist. 15 (II, 26, 36—37), Alex. 16 (77, 15), *εἶτά μοι ἐννόησον*, cf. d. mort. Per. 41 (102, 9);

Ἐννόησον τοίνυν πρὸς θεῶν, ἥντινα ... Tox. 20 (230, 2).

Τί σοι δοκεῖ ἡ ἐπιστολὴ ὦ Χελιδώνιον, dial. mer. X, 4 (I, 453, 36).

Τί σοι δοκεῖ ὦ Τόξαρι ὁ Ἀρεταῖος οὗτος, Tox. 23 (231, 12).

Ἀγανακτεῖν εἰ μὴ τὸ μεῖζον αὐτὸς λήψεται, Prom. s. Cauc. 7 (I, 77, 33).

Ἀγανακτοῦσιν εἰ μὴ ἐπ' ἴσης κοινωνήσουσι τῶν ἡδέων, Tox. 7 (223, 29—31).

Προσδοκήσῃς δὲ μηδὲν τοσοῦτον ὄψεσθαι, οἷον ... tyrannic. 13 (I, 70, 27).

Προσδοκήσῃς δὲ μηδὲν τοσοῦτον παρ' ἡμῶν, οἷα ... Tox. 35 (236, 9—10).

Εὖ γε, ὦ Ζεῦ, ὅτι καὶ παροτρύνεις με πρὸς τὴν παρρησίαν, deor. conc. 4 (I, 125, 10).

Εὖ γε, ὦ Μνησ., ὅτι καὶ παροτρύνεις με πρὸς τὸν λόγον, Tox. 35 (236, 5);

de *εὖ γε, ὅτι* cf. dial. mar. VIII, 1 (88, 11), lup. trag. 42 (151, 33), Hermot. 77 (205, 22), navig. 3 (339, 13), dial. mort. XXX, 2 (389, 27).

Ἐπεθύμησα ... ἐπὶ τὸν Μέμνονα ἐλθὼν ἀκοῦσαι ... ἠχοῦντα πρὸς ἀνίσχοντα τὸν ἥλιον, philops. 33 (I, 223, 11).

Tox. 27 (233, 4) *ἤκουε γὰρ ... τὸν Μέμνονα βοᾶν πρὸς ἀνατέλλοντα τὸν ἥλιον.*

Τὸ ψεῦδος ἐν καλλίστοις ἔπεσι καὶ μέτροις φυλαττόμενον, philops. 2 (I,210, 12).

Τὴν ἑταιρείαν ἐν καλλίστοις ἔπεσι καὶ μέτροις ῥαψῳδοῦντες, Tox. 10 (225, 4).

Μέχρι μὲν οὖν Σικελίας εὐτυχῶς διεπλεύσαμεν, v. hist. A. 34 (II, 52, 35).

Ἄχρι μὲν οὖν Σικελίας εὐτυχῶς διαπλεῦσαι ἔφη, Tox. 19 (229, 19).

Ἀνδρὸς λόγοις μὲν παρ' ὅντινα βούλει τῶν πρὸ αὐτοῦ γεγυμνασμένου, Hipp. 3 (I, 37, 9).

Δεινὴ — τεχνῖτις παρ' ἥντινα βούλει τῶν ἑταιρῶν ἐπισπάσασθαι ἐραστήν, Tox. 13 (226, 32—33).

Οἷα πολλὰ ῥητόρων παῖδες ἐπὶ τοὺς δικαστὰς μηχανῶνται, Anach. 19 (293, 29—30).

Ἄλλα ὁπόσα αἱ μαστροποὶ ἐπὶ τοῖς νέοις μηχανῶνται, Tox. 13 (226, 24—25).

Ἐπεὶ καὶ γελοῖα πάμπαν ἂν πάθοιμι δύο μὲν ... κατακόψας ... ἓν δὲ μιαρὸν ἀνθρώπιον μὴ ἐπιτρίψας, Tim. 53 (I, 405, 21—23),

Ἐπεὶ καὶ γελοῖα πάμπαν ἂν πάθοις Ὀρέστην μὲν καὶ Πυλάδην πάνυ σοφιστικῶς ἐπαινέσας ὑπὲρ δὲ τῆς Σ... Tox. 35 (236, 2—4).

Οἱ δὲ πολλοὶ περὶ φιλίας ἐκεῖνοι λόγοι καὶ ἡ ἀρετὴ ... οὐκ οἶδ' ὅποι τότε οἴχεται πάντα ταῦτα ἀποπτάμενα, pisc. 35 (I, 278, 4—5), cf. Char. 15 (321, 22) *αἱ δ' ἐλπίδες — ἀναπτάμεναι οἴχονται κεχηνότας αὐτοὺς ἀπολιποῦσαι.*

Οἴχονται ὑμῖν ἐκποδὼν ἀποπτάμεναι αἱ πολλαὶ ἐκεῖναι τραγῳδίαι, τοῖς κενοῖς τούτοις καὶ κωφοῖς προσωπείοις ἐοικότας ὑμᾶς ἀπολιποῦσαι, Tox. 9 (224, 31).

Collationes autem ex rebus scenicis petitas saepe Lucianus usurpat: pisc.

31 (I, 276, 15—20), necyom. 16 (311, 6—7), navig. 46 (353, 9—11), gall. 26 (421, 1—10), Sat. 28 (434, 31—32), d. conscr. hist. 4 (II, 21, 28), d. merc. cond. 30 (138 init.) pro merc. cond. 5 (144, 25—30).

Hasce autem structuras verborum Luciano usitatas Toxaridis scriptor imitatus est:

ὃ δὲ pronomine subiectum per epanalepsim quandam a Luciano repetitur,

de dom. 15 (I, 32, 23—26) ὁπόταν τῶν ἐντυγχανόντων ἕκαστος . . . ἀντὶ τοῦ ἐπαινεῖν . . . ὃ δὲ ταῦτ᾽ ἀφεὶς . . . ἀποβλέπῃ. Iup. conf. 11 (133, 4—5) καὶ ὡς ἔοικεν, οἱ ἄνθρωποι, δέον . . . οἳ δ᾽ ἐφ᾽ ὑμᾶς ἴασιν. Cf. Hermot. 28 (182, 24—25), Tim. 17 (394, 38—395), Sat. 3 (425, 1—2) τοὺς ἀγαθοὺς . . . ἀφεὶς ὃ δὲ παμπονήροις περιχεῖ τὸν πλοῦτον· (cf. Homericum pron. ὅ γε)·

in Tox. 61 (246, 31—32) καὶ ἐπειδή ὠνείδισέ τις τὸν Ἀβαύχαν . . . διότι προδοός . . . ὃ δὲ . . . ἐξεκόμισεν . . .

Tum saepe ab ὃ μὲν vel ὃ δὲ pronomine enuntiatio oritur, nomen autem, quod subiectum est, ut appositum, postponitur apud Lucianum:

Scyth. 8 (I, 19, 1) ὃ μὲν παιδεύων καὶ διδάσκων τὰ κάλλιστα ὁ Σόλων. Iup. trag. 50 (154, 24—25) ὃ δ᾽ οὐδὲν ἰσχυρὸν ὁ Τιμοκλῆς ἐπινοεῖ,

in Tox. 47 (240, 30) καὶ ὃ μὲν ἐχώρει ὡς εἶχεν εὐθὺς ἐπὶ τοῦ Βοσπόρου ὁ Λογχάτης, cf. 48 (241, 5—6), 55 (244, 4—5) ὃ μὲν πυρακτωθεὶς ἐς τὸν μηρὸν ὁ Λογχάτης.

Deinde verbis οὗτος μὲν vel μέντοι non sequente δὲ vel ἀλλὰ particula aliquid antecedentibus opponitur vel simpliciter premitur apud Lucianum:

deor. dial. III, 3 (I, 97, 33) καὶ ἀντὶ μὲν τυροῦ καὶ γάλακτος ἀμβροσίαν ἔδῃ καὶ νέκταρ πίῃ, τοῦτο μέντοι . . . cf. de conscr. hist. 20 (II, 28, 26) ἔτι δὲ καὶ ἐν τῷ τῶν νεκρῶν ἀριθμῷ τοῦτο μὲν καὶ παρὰ τὰ γεγραμμένα . . . ἐψεύσατο.

in Tox. 28 (233, 16—17) ὅ τε οὖν Σύρος ἐδέδετο . . . καὶ ὁ δεσπότης αὐτοῦ Ἀντίφιλος, οὗτος μὲν καὶ μεταξὺ . . . 61 (246, 17—18) συναπεδήμει καὶ ἑταῖρος αὐτοῦ Γυνδάνης, οὗτος μὲν καὶ νοσῶν.

Deinde variae verborum conformationes, participialis enuntiatio verbumque finitum μὲν et δὲ particulis coniunguntur a Luciano:

dial. deor. XXII, 1 (106, 25—26) ἣ μὲν ὀλολύζουσα . . . οἱ Κορύβαντες δέ, ὃ μὲν αὐτῶν τέμνεται, dial. mar. I, 4 (83, 2—3) ἐμελῴδει ἄμουσόν τι . . . ἄλλο μὲν αὐτὸς βοῶν, ἄλλο δὲ ἡ λύρα ὑπήχει. III, 2 (84, 34—35);

in Tox. 55 (244, 18—19) . . . Βοσποράνοι μὲν ὑπισχνούμενοι . . . Μάχλυες δὲ ὁμήρους δώσειν ἔφασαν.

Tum multis infinitivis, qui enuntiationis primariae subiecta sunt, attributio, totis enuntiationibus interpositis, interrogando vel exclamando adiungitur apud Lucianum:

de dom. 6 (I, 29, 37 — 30, 6) τὸ γὰρ τῆς τε ἡμέρας πρὸς τὸ κάλλιστον ἀποβλέπειν (κάλλιστον δὲ αὐτῆς ἡ ἀρχή) καὶ τὸν ἥλιον ... ὑποδέχεσθαι καὶ τοῦ φωτὸς ἐμπίπλασθαι ... ἀναπεπταμένων τῶν θυρῶν, καθ' ὅ ... καὶ τὸ ... εὔρυθμον ... πῶς οὐχ ἡδέα ταῦτα πάντα ...; Saturn. 4 (425, 16—20), ἔτι καὶ βασιλέα μόνον ... πῶς οὐχὶ καὶ ταῦτα δείγματα ...; de merc. cond. 8 (II, 128, 15—20) τὸ δὲ λιμῷ ξυνόντα ... δεδέσθαι ... Ἡράκλεις ὡς καταγέλαστον.

in Tox. 3 (222, 4—14) τὸ γὰρ δύο ὄντας οὕτω μέγα τόλμημα τολμῆσαι καὶ ... πῶς ταῦτα οὐ θαυμαστά ...;

Denique apud Lucianum et Toxaridis scriptorem etiam huius generis compositio invenitur:

dial. mar. VI, 2 (I, 87, 3—5) ἢ τοῦτο μὲν πολλὴν ἔχει τὴν διατριβήν, ὑπάγειν τοὺς ἵππους τῇ ζεύγλῃ ... σὺ δὲ ἀλλὰ δελφῖνά μοι ... παράστησον. Hermot. 44 (190, 26—27) ἢ ἐκεῖνα μὲν ἐάσομεν, ἐπείπερ ἀλλόκοτά ἐστιν· φέρε δὴ τὰ μονοειδῆ ..., pro merc. cond. 8 (II, 145, 30 sqq.) ἢ τοῦτο μὲν κομιδῇ ἰδιωτικόν ...

Tox. 62 (247, 7—9) ἢ τοῦτο μὲν ἄγροικον, ἐπεὶ δὲ καὶ σὺ φιλίαν ἔδοξας ἐπαινεῖν ... τί οὐχὶ καὶ ἡμεῖς ...

Praeter ea, quae attuli, multa alia afferri possunt utrique scriptori communia; nam totus paene Toxaris dialogus ex Luciani scriptis consarcinatus est, sed iam eis, quae conquisivi atque congessi, satis mihi dilucide ostendisse videor, Toxaridis scriptorem Luciani orationem imitatum esse. Ex quo efficitur, *eum, qui Toxarim dialogum composuerit, aetate posteriorem fuisse, quam Lucianum.*

Porro id pro certo affirmari potest, dialogum *ante decimum saeculum scriptum esse*; primum quod iam decimo saeculo Luciani esse credebatur. Afferuntur enim quaedam e Toxaride in anecdotis Graecis a Bachmanno editis, addito Luciani nomine [1]), horum autem librum manu scriptum decimi esse saeculi verisimile est [2]), afferuntur eadem, Luciano diserte nominato, in Etym. magn. [3]) et a Suida [4]), apud quem etiam alia ex Toxaride sumpta inveniuntur, Suidam autem, et eum, qui Etym. magn. composuerit,

---

[1]) p. 233 v. ἐπίτιμος.

[2]) Praef. p. VI extr.

[3]) v. ἐπίτιμος.

[4]) p. 1347, C. ἐπὶ βύρσης καθίζεσθαι, 1408 A. ἐπίτιμος.

itidem non posteriores fuisse quam decimo saeculo constat. Deinde Toxaris dialogus in codice Vindob. (philos. phil. CXXIII) exstat, quem decimo saeculo exaratum esse J. H. Chr. Schubartius firmis argumentis probavit[1]).

Alciphronem et Heliodorum imitatum esse Toxaridis scriptorem; fortasse saec. IV. extr. aut V. vixisse, Christianum non videri fuisse; Romanum fortasse fuisse.

Magis vero definitam dialogi aetatem coniectura tantum assequi possum, certi quicquam reperire non possum; ex oratione enim finitum tempus investigari non posse patet, ex rebus autem, quae narrantur, nihil paene colligere licet. Exponenda igitur sunt primum ea, quae cum aliqua saltem probabilitate conici videntur; deinde ostendendum, cur ex eis, quae narrantur, vix coniectare quicquam liceat.

Cum enim in Toxaride, ut iam supra demonstratum est, plurima ex Luciani scriptis congesta sint, eorum quae non ex his sumpta in eo leguntur, pleraque partim apud eos demum inveniuntur, qui post Lucianum fuerunt, partim perrara sunt, partim a Toxaridis scriptore solo aut omnino, aut ea, quam eis tribuit, significatione usurpata sunt. Ex eis igitur, quae tantum apud posteriores atque in Toxaride inveniuntur, consequi mihi videtur, ut dialogi scriptor aut eorum tempore aut post eos fuerit. Sunt autem eius generis fere haec:

Quae tantum apud posteriores et in Toxaride inveniuntur.

Ἀνέχομαι cum infinitivo coniunctum, Tox. 41 (238, 26) *οὐκέτι ἠνέσχετο βλέπειν*: nam sive Hermanno assentiris dicenti, infinitivum tum poni, si quid adiungatur, quod nondum fiat, sed futurum sit[2]), sive aliis docentibus, *ἀνέχεσθαι* cum infinitivo coniungi, cum „audere" significet[3]), in Toxaride infinitivus contra veterum scriptorum consuetudinem positus est; apud posteriores[4]) vero infinitivus cum *ἀνέχεσθαι* verbo saepe coniungitur:

---

[1]) Zeitschrift für Alterthumswissenschaft 1834, erster Jahrgang No. 142.

[2]) Cf. Eurip. Phoen. ed. Reinh. Klotz v. 550—551, *σὺ δ' οὐκ ἀνέξει δωμάτων ἔχων ἴσον | καὶ τῷδ' ἀπονέμειν.* Luc. gall. 11 (I, 412, 34) *μηδενὸς ἀνεχομένου πλησίον κατακεῖσθαι αὐτοῦ, ἐμὲ ὑποκατακλίνουσιν.*

[3]) Herodot. VII, 139 extr. *καταμείναντες ἀνέσχοντο τὸν ἐπιόντα ἐπὶ τὴν χώραν δέξασθαι.*

[4]) Posteriores hac in parte operis dico eos, qui post Lucianum fuerunt.

Alciphr. I, 39, §. 1 extr. οὐδὲ τὰς φίλας ἰδεῖν γυναῖκας ἀνασχομένη. Heliodor. Aethiop. I, 2 (5, 7) οὐκ ἀνέχῃ δὲ ὅλως οὐδὲ μετὰ θάνατον ἀποστατεῖν ἡμῶν, I, 31 (37, 13), II, 28 (68, 1) ὀργᾷ ὁ Νεῖλος καὶ ποταμὸς εἶναι οὐκ ἀνέχεται, V, 2 (125, 9), VII, 17 (201, 17);

Ἀπεχθάνομαί τινι, infesto in aliquem animo sum, odi [apud veteres et Lucianum dial. deor. XX, 1 (I, 113, 6), pisc. 20 (272, 21) *invisus sum alicui*].

Tox. 51 (242, 29) Σκύθαις μὲν ἀεὶ φίλος ἐστίν, Ἀλανοῖς δὲ ἀπέχθεται. Alciphr. III, 11, 1 Πανὶ ἀπεχθανομένη καὶ Νύμφαις, III, 58, 3. Aelian. v. hist. II, 21 (p. 104), XI, 10 (p. 646 extr.), XII, 16 (p. 688 init.).

Ἀπὸ praepositionis singularis usus,

Tox. 19 (229, 24) ἀπὸ φιλῆς τῆς κεραίας πλεῖν, 60 (245, 37—38) (τὸ κράνος δὲ οὐ κατέθηκεν) ἀλλ' ἀπὸ γυμνῆς τῆς κεφαλῆς ἐμάχετο.

Heliod. III, 3 (80, 19) τὸ δὲ κράνος οὐχ ὑπελθών, ἀλλ' ἀπὸ γυμνῆς τῆς κεφαλῆς πομπεύων, IX, 19 (264, 6—7) ἀπὸ γυμνοῦ τοῦ σώματος τοῖς ἐναντίοις ἐφίησιν.

Ἀποσυλάω τινά, rapio aliquem; apud veteres et apud Lucianum *συλάω* verbum et composita significant *spoliare* (aliquem aliqua re),

Iup. conf. 8 (I, 132, 10), Iup. trag. 10 (139, 27), 32 (147, 37), Icarom. 24 (166, 9).

Tox. 2 (221, 21) ἀλλὰ καὶ τὴν Ἄρτεμιν αὐτὴν ἀποσυλήσαντες, Heliod. X, 36 (308, 19) ἔλαθεν ἐκ τῶν ἀδύτων τὴν κόρην ἀποσυλήσας.

Οἱ περί vel *ἀμφί τινα* locutione Lucianus eodem modo, quo veteres scriptores, utitur:

Hermot. 33 (I, 184, 22—23), philops. 23 (218, 29—30), symp. 36 (239, 2) 37 (239, 27), 43 (240, 34), v. hist. A. 3 (II, 41, 30), 19 (47, 32), B. 18 (61, 8), 20 (62, 3), Alex. 25 (80, 26 sq.).

Apud posteriores vero alius locutionis usus percrebruit, qui in Toxaride quoque reperitur. Usurpatur ea enim de duobus tantum hominibus, de puella eiusque amatore, de duobus amicis, sive comites sunt, sive non sunt. Sic Tox. 2 (230, 19) *οἱ ἀμφὶ τὸν Εὐθύδικον αὐτοὶ* sunt Euthydicus cum amico suo, qui comites dici non possunt; similiter 33 (235, 11) *οἱ ἀμφὶ τὸν Δημήτριον* sunt Demetrius cum amico. Quae autem apud Vigerium[1]) afferuntur exempla, veterum scriptorum iam hunc usum fuisse non probant. Nam (Xen. Symp. 1, 3) *οἱ ἀμφὶ Αὐτόλυκον* sunt Autolycus *cum comitibus*, patre et Nicerato, et cum apud Palaepha-

[1]) p. 8, b tertiae edit. Herm.

tum (Fab. XIV. p. 218 v. 18 scriptor. poet. hist. ed. Westermann, Brunsvig.) *οἱ περὶ τὴν Ἀταλάντην* sint Atalanta cum Melanione suo, hoc nihil probat, quia nequaquam certum est, haec ipsa Palaephati verba esse; orationem enim eius mutatam, amplificatam saepe atque ornatam esse a librariis praesertim Christianis Westermannus ostendit in libri, quem modo commemoravi, praefatione p. XI. Posteriorum autem exempla multa afferri possunt, ut Heliod. I, 8 (10, 15) *οἱ περὶ τὴν κόρην*, VII, 12 (194, 14), VIII, 15 (240, 29), Xen. Ephes. II, 2 (347, 22), V, 10 (394, 20), Ach. Tat. VI, 15 (143, 28).

Διάβροχος ἔρωτι (? perfusus amore) Tox. 15 (227, 19) multo audacius dictum est, quam illud Luciani bis acc. 17 (II, 9, 31) *οὐ γὰρ τέλεον ἦν διάβροχος τῇ μέθῃ*, et hoc Heliodori III, 7 (85, 31) *ὀφθαλμοὺς ἔρωτι διαβρόχους*. At Nonnus (Dionys. 6, 247) dixit: *Κρόνος .... φέγγει παχνήεντι διάβροχος*.

Διεξιέναι significat apud veteres et Lucianum *dicendo persequi, perpetuam et longam orationem vel narrationem enarrare* (vollständig abhandeln, durchgehen, vortragen, erzählen), Herod. 7 (I, 12, 28), Bacch. 7 (23, 20), Phal. II, 1 (48, 4), rhet. praec. 9 (68, 39), Iup. conf. 2 (130, 5), 6 (131, 9), 15 (134, 3), Iup. trag. 17 (142, 16), 24 (144, 32), Icarom. 25 (166, 25), Hermot. 24 (180, 6), 50 (193, 15), 81 (207, 22), philops. 1 (209, 16), 5 (211, 8), 7 (212, 5), 29 (221, 5), symp. 14 (233, 5), 17 (234, 15), pisc. 25 (274, 25), disp. c. Hesiod. 5 (285, 35), Anach. 14 (291, 3), 15 (291, 9), 16 (291, 24), 18 (292, 36), dial. mort. X, 12 (365, 29), Tim. 7 (391, 37), 54 (405, 31), gall. 5 (410, 8), 6 (410, 26), dial. meretr. II, 2 (439, 33), XIII, 5 (460, 17).

Bis acc. 11 (II, 6, 5), 17 (9, 28), 21 (11, 33), d. conscr. hist. 1 (20, 29), 4 (21, 30), 11 (25, 6), 14 (26, 13), 27 (31, 16), ver. hist. A, 11 (44, 29), 34 (52, 31), de mort. Per. 5 (92, 31), 27 (98, 22), 31 (99, 23), 32 (99, 38), de apophr. 4 (114, 32), 9 (116, 19), 15 (117, 35), de merc. cond. 1 (124, 17), 6 (127, 17), 36 (140, 6), pro merc. cond. 1 (142, 28).

in Tox. 24 (232, 6. 17), cf. 46 (240, 9) *διεξιέναι* significat dicere, similiter apud Heliod. II, 5 (42, 18).

Εἰσφοιτάω, Tox. 13 (226, 23) *γράμματα εἰσεφοίτα*. Veteres, Lucianus pro merc. cond. 13 (147, 23), quin etiam Alciphro (III, 62, 2) simplex verbum ita usurpant; *εἰσφοιτᾶν* tantum a Dione Cassio [(43, 24) *τοῦτο τὸ ὕφασμα .... εἰσεφοίτησε*, (60, 11) *οὐδὲν τὴν χειμερινὴν εἰσεφοίτα*] pro *φοιτάω* dictum videtur esse.

Ἐκτραχηλίζω τινά, praecipitem deicio aliquem et cervices ei frango.

Haec propria sententia voci subest etiam in rhet. praec. 10 (I, 69, 28) *μή σε ἐκτραχηλίσῃ που παραλαβών*, referuntur enim verba imagine expressa ad haec: *ἐς τὸ εὐθὺ τῆς ῥητορικῆς ἡ ὁδός*. Similiter de merc. cond. 42 (II, 142, 5) dictum est: *ὡς πολλάκις ἤδη πρὸς τῷ ἄκρῳ ἔσεσθαι ἐλπίσαντας ἐκτραχηλισθῆναι*, in Tox. vero 14 (227, 2) *ἐκτραχηλίζειν τινὰ* significat pessum dare, perdere aliquem, ut apud Alciphr. III, 40, 4.

Ἐκτρυχοῦν et *τρυχοῦν* significant *atterere, attenuare, affligere, vexare* et dicuntur de hominibus, ut Luc. de merc. cond. 39 (II, 140, 28);

de vestibus et similibus rebus apud posteriores demum verba usurpantur,

ut apud Alciphr. I, 14, 1 *τετρυχωμένον δίκτυον*, Heliod. VI, 11 (172, 2) *κώδια τετρυχωμένα*, VII, 7 (187, 7) *ἐσθῆτα τετρυχωμένην*, et ita in Tox. 30 (234, 15) *ἐκτετρυχωμένα ῥάκη*.

Ἐπαγρυπνεῖν τινι, *insomnes noctes agere ob alqd.* dicitur a veteribus et a Luciano:

Tim. 14 (I, 394, 17) *ἐπ. τοῖς τόκοις*, gall. 31 (423, 17) *τόκοις* ex *ἀναλογιζόμενον τοὺς τόκους* intellegendum est, Sat. 26 (434, 7) *ἑκάστοις*.

Absolute usurpatur *ἐπαγρυπνεῖν* significans *insomnes noctes agere* in Tox. 14 (227, 10),

ab Aristaeneto I, 27 (121, 22).

Ἐπικλᾶσθαι, *frangi*, de fluctibus dicitur:

Tox. 20 (230, 6) *τὸν ἦχον τοῦ ὕδατος ἐπικλωμένου*,

Alciphr. I, 1, 1 *ἐπαλλήλων ἐπικλωμένων τῶν κυμάτων*.

Ἱκέτης latiore quadam significatione, ut Latinorum *supplex*, quicumque submisse orat a posterioribus demum videtur dictus esse.

Heliod. II, 33 (74, 25), IV, 7 (105, 20—21) *ἱκέται γιγνόμεθα, μὴ περιιδεῖν*, IX, 6 (251, 10. 13).

Tox. 55 (244, 17) *ἱκέται παρὰ τῶν πολεμίων ἥκοντες ἐδέοντο φιλίαν ποιεῖσθαι*, cf. cum his: Iliad. XXI, 75: *ἀντί τοί εἰμ' ἱκέταο, Διοτρεφές, αἰδοίοιο*, Luc. bis acc. 21 (II, 11, 25), *ὥσπερ ἱκέτην ἐπὶ τὸν τοῦ ἐλέου βωμὸν καταφεύγοντα*.

Ἱκετηρία est ramus oleae lana obvolutus (Schol. Arist. Plut. v. 383: *ἱκετηρία ἐστὶ κλάδος ἐλαίας ἐρίῳ πεπλεγμένος, οἱ γὰρ ἱκετεύοντες ἐλαίας κατεῖχον κλάδον*); cumque *ἱκετηρία* pro *ἱκετεία* verbo legeretur apud Isocr. 8. §. 164 Bekkerus ex codice „*ἱκετεία*“ vocabulum recepit; apud posteriores vero „*ἱκετηρία*“ vocem idem valuisse atque „*ἱκετεία*“ apparet

ex Aristaeneto II, 1 (121, 1), ubi *ἱκετηρία deprecatio* est; ex Heliod. II, 22 (60, 16—18) *περιποτᾶται — εἰς ὦτα ἀνήμερα ἀνήνυτον ἱκετηρίαν τὸν μητρῷον προσάγουσα θρῆνον*, VII, 7 (186, 13), cf. IX, 11 (256, 17), ex Ach. Tat. I, 10 (16, 30), V, 9 (111, 14) aliisqe ex locis;

in Tox. eandem vox habet significationem 48 (241, 1) *καὶ τοῦτό ἐστιν ἡμῖν ἡ μεγίστη ἱκετηρία*. [Propriam autem suam vim vox habet apud Aelian. v. hist. III, 26 (p. 279 init.), vid. Porson. interpr.]

Καλλιλογεῖσθαι verbum medium quod legitur Tox. 35 (236, 6—7) *μηδὲν ὥσπερ σὺ καλλιλογησάμενος* contra analogiam (cf. *ψυχρολογεῖν, αἰσχρολογεῖν, ψευδολογεῖν* alia), perraro pro activo verbo videtur usurpatum esse; in Steph. certe thesauro ed. Paris. unum tantum exemplum affertur ex Eustath. opusc. p. 323, 52.

Pro *οὐ κατέθηκεν (τὸ κράνος)*, quod Tox. 60 (245, 37) vulgo legitur, Bekkerus *οὐκ ἐπέθηκεν* scripsit: vereor tamen, ne *κατέθηκεν* verbum hoc loco retinendum sit; nam Toxaridis scriptor, quae sit vis praepositionum cum verba eis subiungantur non satis videtur intellexisse, cuius rei infra nonnulla exempla afferentur, hic tantum admoneo, inveniri similem quendam *καταιτιθέναι* verbi usum apud Quint. Smyrn. XII, 303—304: *ὤμοισι κατ' ἄμβροτα θήκατο ὅπλα | πατρὸς ἑοῦ.*

Οἷα pro *ἅτε* vel *ὡς* cum participio coniunctum legitur Tox. 39 (237, 30), 3 (222, 9). A Luciano semel *οἷα δὴ* cum adiectivo coniunctum est Scyth. 3 (I, 17, 2) *οἷα δὴ ξένος* (cf. Xen. Cyrop. IV, 2, 32), ceteris in locis is *ἅτε* usurpat:

de dips. 2 (I, 8, 27). Herc. Gall. 3 (24, 20), de dom. 3 (28, 28), 9 (31, 5), rhet. praec. 8 (68, 24), dial. deor. VI, 3 (101, 8), XI, 1 (105, 31), XII, 1 (106, 24) persaepe praeterea;

apud posteriores autem similiter atque in Toxaride persaepe, aut, ut apud Longum, fere semper, *οἷα* pro *ἅτε* vel *ὡς* cum participio vel adiectivo coniunctum legitur:

Charit. I, 13 (24, 12; 26, 2), II, 4 (38, 9), VI, 5 (141, 9), saepe praeterea. Long. pastor. I, 5 (244, 4), 12 (247, 11), 18 (252, 28), aliis multis in locis.

Πάντα ὁμοῦ scribunt posteriores pro *ἅμα πάντα* vel *ἅπαντα*, quibus, ut veteres, Lucianus utitur:

fug. 19 (247, 36) *ἅπαντα πράττουσιν*, dial. meretr. VIII, 3 (450, 14) *ἅπαντα ἐποίει*, de mort. Peregr. 42 (II, 102, 22—23) *ἅπαντα εἰπόντος ἀεὶ καὶ πράξαντος*,

at contra in Tox. 37 (236, 31) *πάντα ὁμοῦ πράττοντες* legitur, ut Charit. I,

10 (18, 7), V, 8 (122, 1), Achill. Tat. I, 4 (8, 32), III, 8 (68, 24); vide praeterea quae Iacobsius p. 804 annotavit.

Πονήρως ἔχειν vel *διακεῖσθαι* dicuntur ei, qui amore incensi sunt:

Tox. 15 (227, 19), 44 (239, 18—19),

Xenoph. Ephes. I, 3 (322, 11), 15 (344, 17. 30), II, 3 (348, 19), 4 (349, 20).

(*Δέδια μὴ*) *προθύσηταί με τοῦ πολέμου* tumide atque inepte dictum est Tox. 50 (242, 2); non minus tumide Heliodorus IX, 24 (270, 2): *ἐὰν οὖν προθύσηταί τις ἡμᾶς* dixit, et Charito VII, 3 (157, 6) *ἐμὲ προθυσάμενος ἀπέρχου*. Paullo aptius gravi oratione usus Iosephus B. I. II, 20, 4 *πρότερον αὐτὸν δεῖν ἅπαν τὸ Ἰουδαίων ἔθνος προθύσασθαι* scripsit.

Προσεκπυροῦν, insuper accendere, inflammare pro *προσεκκαίειν* legitur Tox. 15 (227, 22). Praeter Toxaridis scriptorem translata huius verbi significatione tantum posteriores videntur usi esse, si quidem fides habenda est thesauro Steph., in quo huius significationis exempla haec solum offeruntur:

Tzetz. ad Lycophr. 171: *τῷ κάλλει αὐτῆς προσεκπυρώσεις αὐτὸν* et Eustath. 127, 87 *ἡμᾶς αὐτοὺς ἐκπυροῦμεν εἰς θάρσος μάχιμον*.

Ῥόθιον vocabulum apud inflatos solum scriptores *impetum, vehementiam* significat,

ut Heliod. V, 17 (138, 24) *παραλύειν τὸ ῥόθιον* et IX, 15 (260, 12) *παντὶ τῷ ῥοθίῳ κατὰ τῶν ἐναντίων ἵεται*: (exempla Iosephi et Longini vide in thes. Steph.

Similiter in Tox. haec voci subiecta vis est: 19 (229, 25) *τὸ ῥόθιον τῆς ὁρμῆς* et 55 (244, 10) *ὑποστῆναι τὸ ῥόθιον τοῦ θυμοῦ*. Spernit autem has ampullas Lucianus, qui vel militem gloriosum dial. meretr. XIII, 1 (458, 32) sana oratione utentem facit; sunt enim gloriantis militis verba: *ἐπὶ τούτους ἐγὼ σπασάμενος τὴν σπάθην ἅπαντι τῷ θυμῷ ἐπελάσας ἀνατρέπω κ. τ. λ.*

Σκέπτεσθαι (*καταγωγήν*), *circumspicere* (*deversorium*) pro *περισκοπεῖν* vel *περιβλέπειν* dictum est:

Tox. 57 (245, 3); Heliod. V, 18 (139, 15) *σκεψάμενος καταγωγὴν ἠρχόμην*:

Lucianus autem *περισκοπεῖν* usurpat: fug. 27 (249, 34) *τί περισκοποῦσιν*, Char. 2 (314, 35) *π. ὄρος*, dial. meretr. X, 2 (453, 8) *π. αὐτόν*; atque *περιβλέπειν*: v. auct. 12 (I, 257, 28) *περιβλέπειν ἄλλον τῶν πλουσίων*.

Ὑπόχρυσος, perdives:

Tox. 16 (227, 34) *νεανίσκων τῶν ὑποχρύσων*, Heliod. II, 8 (45, 26) *ἔμπορος ὑπόχρ.*, cf. VII, 3 (181, 5) *ὑπόχρ. ὅπλα*, VII, 5 (183, 22) *μαρμαρυγή*.

Μέν et δέ ita coniunguntur, ut *δέ* in enuntiatione participiali ponatur:

Tox. 49 (241, 13) καὶ φησὶν ἥκειν μὲν ἀπὸ τοῦ κοινοῦ τῶν Σκυθῶν, ἰδίᾳ δὲ αὐτῷ μεγάλα πράγματα κομίζων.

Charit. VIII, 7 (186, 7) Ἑρμοκράτης εἱστήκει μὲν ... λανθάνων δέ.

Μέν et δέ ita sibi opponuntur, ut *δέ* vertendum sit *cum:*

Tox. 39 (237, 27) τετάρτη μὲν ἦν ἡμέρα ... ἧκον δὲ ... Σαυρομάται.

Charit. I, 3 in. (6, 18) ἑσπέρα μὲν ἦν... ἧκε δὲ ἀγγέλλων τις. [Cf. VIII, 1 (169, 12—13)]: imitatus videtur esse Charito Demosthenis haec verba (de coron. §. 169) Ἑσπέρα μὲν γὰρ ἦν, ἧκε δ' ἀγγέλλων τις.

(Contra Xen. Ephes II, 3 (348, 9—10) ὁ μὲν Ἄψυρτος ἀπῆλθεν ... θυγάτηρ δὲ αὐτοῦ ἠράσθη videtur vertendum esse: cum Apsyrtus profectus esset ... filia eius amore incensa est ...)

In verbis *ὅμως δὲ ἐπ' ἀμφιβόλῳ τῷ τάχα καὶ κρείττονα τυγχάνειν τῆς φημιζομένης ἑτέραν*, Charit. IV, 6 (100, 18—19) offendit d'Orville[1];

aeque dura haec Toxaridis sunt 35 (236, 13): *ἐπὶ προδήλῳ τῷ μικρὸν ὕστερον λυθήσεσθαι*: Lucianus autem *ἐπὶ ψιλῷ τῷ τρέφεσθαι* quidem dixit rhet. praec. 24 (I, 74, 23), illa tamen magis intricata verborum compositione non usus est, sed Herm. 6 (172, 23) *ἐπὶ τῷ ἀδήλῳ, εἰ βιώσῃ* scripsit.

Enuntiationes quae in Toxaride et apud Heliodorum aut apud Alciphronem similes leguntur.

Addendae iam sunt enuntiationes quae in Toxaride atque apud Heliodorum aut apud Alciphronem similes leguntur:

Heliod. III, 19 (96, 3—4) ἐπειδὴ οὖν ἐπέστημεν τῇ Χαρικλείᾳ, τ ὰ μ ὲ ν π ο λ λ ὰ τί ἄν τις εἴποι;

Tox. 19 (229, 21—22) καὶ τὰ μὲν πολλὰ τί ἄν τις λέγοι;

Heliod. I, 11 (14, 24—25) ἐ γ ὼ δ ὲ ὁ μ ά τ α ι ο ς ἀ θ ρ ό ο ν κ α λ ὸ ς γ ε γ ε ν ῆ σ θ α ι ἐ π ε π ε ί σ μ η ν,

Tox. 14 (227, 11—12) ἕ ω ς δ ὴ ὁ μ α κ ά ρ ι ο ς ἐ π ε ί σ θ η κ α λ ὸ ς ε ἶ ν α ι, [cf. 13 (226, 27), 16 (228, 8)].

Haec et sententia et verbis ita similia sunt, ut vix dubitari possit, quin scriptorum alter ab altero ea furatus sit.

Idem dicendum est de his, quae apud Alciphronem III, 62 §. 2 extr. leguntur: *καὶ παρὰ τούτου γραμματίδια ὁσημέραι φοιτᾷ δίθυρα — καὶ στέφανοι ἡμιμάραντοι καὶ μῆλα ἀποδεδηγμένα,*

atque in Toxaride 13 (226, 23—24) *καὶ γραμματεῖά τε εἰσεφοίτα αὐτῷ παρὰ τῆς γυναικὸς καὶ στέφανοι ἡμιμάραντοι καὶ μῆλά τινα ἀποδεδηγμένα.*

---

[1]) Vid. comment. eius.

Ex parte similia haec sunt:

Alciphr. III, 50, §. 1: οὐ γὰρ δαπανᾶται εἰς αὐτὴν χρυσίον καὶ ἀργύριον, ἀλλ' ἤδη καὶ συνοικίας καὶ ἀγρούς.

Tox. 15 (227, 28—30) τὰ μὲν γὰρ δῶρα οὐ κατὰ μῆλα — ἀντεδίδοτο αὐτῇ, ἀλλὰ συνοικίαι ὅλαι καὶ ἀγροί,

quae hoc loco non solum propter similitudinem orationis proferenda erant, sed etiam ideo, quod argumentum epistolae ex qua sumpta sunt, simile quodammodo est rei in Toxaride narratae, atque ne hoc quidem puto casu factum esse, quod apud Alciphronem prodigi filii pater Lysiae, in Toxaride Lysionis (vel Lysonis) nomen habeat. Prudentius autem narrationem ab Alciphrone quam in Toxaride instructam esse, iam supra demonstratum est p. 13 seq.

Denique haec quoque praecipue propter καταβάλλειν verbi significationem conferri possunt:

Alciphr. I, 23, §. 3: καὶ καταβαλὼν ὀβολοὺς δύο καὶ τὸν βαλανέα τούτοις ἵλεων καταστήσας . . .

Tox. 31 (234, 18—20) μέρος τοῦ μισθοῦ τῷ δεσμοφύλακι καταβάλλων τιθασὸν ἑαυτῷ καὶ εἰρηνικὸν ἀπειργάζετο,

in quibus locis καταβάλλειν insolenter *dare* vertendum est, cum *debitum reddere, solvere, pendere* significare soleat:

Lucian. deor. conc. 3 (I, 125, 5), Icarom. 5 (157, 31—32), vit. auct. 1 (252, 26), 18 (260, 1—2), 25 (263, 24), catapl. 18 (333, 27), dial. mort. IV, 1 (356, 31), Saturn. 15 (430, 4), dial. meretr. XIV, 3 (462, 3).

Quae, omnino perrara, in Toxaride leguntur.

Omnino autem perrara sunt quae in Toxaride leguntur haec:

δέδεξο, *accipe*, Tox. 25 (232, 12), 53 (243, 11); **δεδέχθαι** perfectum tantum apud Homerum videtur significare *accipere*:

Il. XXII, 340: ἀλλὰ σὺ μὲν χαλκόν τε ἅλις χρυσόν τε δέδεξο, δῶρα, τά τοι δώσουσι πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ,

nam etiam hoc in loco multi homines docti vim exspectandi verbo subiciunt[1]).

Ἱππότης vox Tox. 47 (240, 31) significans *equo vehentem* perraro apud prosae orationis scriptores invenitur; ego tantum apud Herodotum (9, 69) legi, ubi equitem significat, atque apud Aristaen. I, 18 (34 v. ult.)

---

[1]) Cf. Buttm. ausführl. griechische Grammatik, II. edit., II. part., p. 148, ann. 2; Thes. Steph. ed. Paris. in v. δέχομαι.

Πέμπεσθαι med. Tox. 14 (227, 10) pro *πέμπειν*: retinendam enim librorum scripturam censeo, quae est: *ἐπ' αὐτὸν καθίει*[1]) .... *γραμματεῖα, καὶ συνεχῶς πεμπομένη τὴν ἅβραν*, „immisit", ut ita dicam, „in eum litteras et quidem crebro ancillam mittens"; apparet enim non litteras seorsum ad eum datas esse, sed missam esse ancillam, quae ei litteras dominae traderet. Deinde verisimile est, eum qui *καλλιλογέομαι* pro *καλλιλογέω*, *προσάγειν*[2]) pro *προσάγεσθαι* scripserit, etiam mediam verbi *πέμπειν* formam pro activa usurpasse. Similiter medium usurpatum est a Sophocle Oed. Reg. v. 556 et ab Euripide Orest. 111, qui versus tamen a multis spurius esse existimatur.

Singularia quae in Toxaride leguntur.

Iam autem ut hanc laboriosissimam quaestionem ad finem adducam, addenda hic ea sunt, quae a solo Toxaridis scriptore aut omnino aut ea, quam eis subiecit, vi usurpata sunt, quorum multa a consuetudine Graeci sermonis abhorrere mihi videntur.

In Toxaride igitur solum inveniuntur:

πανλώβητος (deformis), 24 (231, 26);

ἀρχίπλανος 39 (237, 35); qui non, ut Gesnero videtur (Luc. ed. Bip. IX, p. 455) dux oberrantium est (is enim *ἀρχιπλάνης* dicendus erat), sed dux oberrandi, is qui vagationi praeest, ut *ἀρχίδικος* (a *δίκη* Poll. 8, 83), is est qui iudiciis praeest;

συναρμοστής 32 (234, 30), (hanc enim scripturam retineo, quia facile fieri potuit, ut librarius aliquis pro inusitato nomine usitatum poneret, verisimile autem non est, pro usitato insolens a quoquam verbum substitutum esse), quod vocabulum aut *collega praesidis* vertendum, nam qui Alexandriae erat praefectus Augustalis, iuridicum Roma missum quasi collegam habuit,

---

[1]) Quae hominibus doctis *καθιέναι* verbo videtur inesse „metaphora, sumpta a piscatoribus lineam demittentibus" (potius mittentibus, demittitur enim hamus, linea mittitur), qualis sane a Plauto usurpatur, non magis hic voci inest, quam in his locis: Lucian. dial. meretr. VII, 4 (448, 37) *οἰκέτην καθῆκεν ἐξαπατήσοντα*, Heliod. I, 11 (14, 21) *καθίησι Θίσβην εἰς ἐμέ*, VI, 2 (160, 2—3) *διάκονον εἰς τὴν ἐπιβουλὴν καθεῖσα τὴν Θίσβην*, atque hoc optime ex eo intellegi potest, quod *καθιέναι* verbum potius de cataprorata, de ancoris iaciendis, de militibus immitendis, deducendis usurpatur, quam de linea mittenda, ita ut si *πεμπομένην* scribitur, locus sic Germanice ad verbum exprimendus sit: sie schickte die Briefe gegen ihn aus und die unaufhörlich gesandte Zofe.

[2]) vid. p. 73.

aut, quod mihi magis placet, *corrector*; ad verbum enim haec Latina vox a scriptore expressa videtur esse, cum procedentibus imperatorum temporibus, certe saeculo quarto praesides provinciarum *correctores* vocatos esse appareat ex eius saeculi scriptoribus[1]); neque haec translatio ab ingenio eius abhorret, qui ἀρχίπλανος nomen finxit, et qui, ut nemo ante eum aut post eum, Latinis[2]) usitatam metaphoram imitatus hominem ἐδώδιμον dixit 16 (228, 11).

Atque haec cum ita sint, non dubito, quin etiam verbum πυρακτόω 55 (244, 4 πυρακτωθεὶς ἐς τὸν μηρόν) non librario cuidam sed scriptori ipsi debeatur; quam is autem vim huic voci subesse voluerit investigare operae pretium non est.

Insolita autem apud alios significatione vocabula, ut ἐδώδιμος, aliaque insolenter dicta haec fere in Toxaride leguntur:

Ἄδοξος 24 (231, 36) pro „ἄτιμος" videtur esse dictum.

Ἀνατείνειν 50 (241, 36) absolute pro ἀνατείνειν τὴν χεῖρα usurpatum est.

Ἀσίτους autem et ἀμίσθους recte mihi Gesnerus explicare videtur esse eos, quibus non dux exercitus, sed is, qui eos duci tradat, cibum et stipendium det, quamquam satis obscure hoc vocabulis quae sunt ἄσιτος et ἄμισθος scriptor expressit. Iacobitius vero, etiamsi ad hanc Gesneri sententiam accessit, tamen, quod maxime mirandum est, eidem non assentitur in eo, quod αὐτοτελεῖς (ἐπιδοὺς μετέσχον . . . .) 54 (243, 32) *meo sumptu militantes* interpretatus est, atque ipse αὐτοτελεῖς censet eos esse, qui suis sumptibus militent. Sed primum quaero, qua conditione in Scythis fuerint homines, quos Toxaris Arsacomae ut sibi subiectos tradiderit, quibus tamen nec stipendium nec cibum daret? deinde perspicuum est, αὐτοτελεῖς eos hic dici, qui supra ἄσιτοι et ἄμισθοι dicti sint, quos cum concessisset Iacobitius esse eos, quibus is, qui eos duci traderet, cibum et stipendium daret, concedendum ei etiam hoc erat, αὐτοτελεῖς eos esse, qui sumptibus eius, qui eos duci tradidisset, militarent. At homo doctus eo in errorem inductus est, quod αὐτοτελεῖς

---

[1]) vid. Forcell. Lexic. in vv. *corrector* et *correctura*, et Amm. Marcell. 15, 5 et 27, 3.

[2]) Cf. quae a Iacobo allata sunt in comment. Toxaridis. Terent. Eun. V, 8, 57 hunc comedendum et deridendum vobis propono, Heautont. III, 1, 53, Plaut. Pseud. IV, 7, 25.

dici solent ei, qui suae potestatis sunt (Viger. p. 169 *αὐτονόμος, αὐτοτελής, αὐτόδικος*, qui ne dépend ni relève de personne), neque animum advertebat, eos, qui suae potestatis sint (qui ne dépendent ni relèvent de personne), ne tradi quidem cuiquam ab ullo, nedum ab homine privato posse. Quod si animum advertisset, intellexisset a dialogi scriptore insolentem eam, quae Gesnero visa sit, vim voci quae est *αὐτοτελής* subiectam esse.

Ἀφῆκεν αὐτὸν ἡ ψυχή 60 (246, 6), pro *ἀφῆκεν τὴν ψυχήν*, vel *ἔλιπεν αὐτὸν ἡ ψυχή* dictum est; anima enim avolare creditur atque edi, efflari dicitur, corpus relinquitur; cf. Herod. IV, 190, *ἐπὰν ἀπίῃ τὴν ψυχήν*.

Dure deinde, quin etiam, ut mihi videtur, perperam 34 (235, 33—34) scriptum est: *ἄχρι μαστιγούμενος ὁ Σύρος ἀμφοτέρους ἀφίησιν αὐτούς*.

Cum legatur 52 (243, 5—6) *ἐτεθεραπεύκει ἕνα σφισὶν ἄλλον ἱππέα ἕπεσθαι*, dubito an non recte accusativus cum infinitivo cum *θεραπεύειν* verbo coniungantur; alius enim generis est exemplum ex Plutarch. Lycurg. 22 in lexicis allatum: *θεραπεύουσι κόμην φαίνεσθαι λιπαράν*, quae verba ita sunt explicanda: *θεραπεύουσι κόμην ὥστε φαίνεσθαι λιπαράν*.

Κλεῖστρον 57 (245, 5) pro „*κλεῖθρον*" dictum est.

Μαστροπός, lena, 13 (226, 25) vertitur a Wielandio ***Buhlschwester***, neque dubitari potest, quin vocem huius significationis sententia postulet.

Ξένος 57 (245, 8) pro vocabulo quod est *πανδοκεύς*, ut nusquam alibi dictum est.

Ὄνομα τίθεσθαί τινος 7 (223, 38) vix alibi inveniatur.

Παραβύειν significat *inculcare, infarcire iuxta* vel *praeter alia, intrudere*; absurde igitur dictum est 58 (245, 13) ***παραβύειν τὸν ἀκινάκην ἐς τὴν πλευράν*** (den Degen in die Seite hineinstopfen!).

Exempla *παραβύειν* verbi (et *συμπαραβ.*) a Luciano recte usurpati sunt:

deor. conc. 10 (I, 127, 8), sympos. 20 (235, 19), pisc. 12 (269, 21), 22 (273, 18), dial. meretr. VI, 3 (446, 38), XII, 1 (456, 29), scrib. hist. 22 (II, 29, 13), Alex. 35 (100, 27), de merc. cond. 14 (130, 21), 32 (138, 17—18).

Cf. *τὰ ὦτα βεβύσθαι* catapl. 5 (I, 328, 5—6), Saturn. 32 (436, 9); *περιβύειν ὑπαυχένια* gall. 11 (412, 32).

Παραδιδόναι pro *ἐκμισθοῦν* vel *ἀπομισθοῦν* (cf. Plato r. p. 475 d.) *αὑτόν τινι* significans *operam suam alicui locare* (*sich verdingen*) in Toxaride solum 18 (228, 37), 31 (234, 16) videtur legi.

Παραλαμβάνειν 24 (232, 1) *ἣν οὐδὲ . . . ἠξίωσεν ἄν τις παραλαβεῖν* dictum est pro *ἄγεσθαι* (*uxorem ducere*, Herod. V, 92 §. 2 *ἤγοντο ἐξ ἀλλήλων*); saepissime vero verbum *παραλαμβάνειν* id significare contendit Iacobitius et inspicere iubet Ev. Matth. 1, 20; ibi tamen haec leguntur: *μὴ φοβηθῇς παραλαβεῖν Μαριὰμ τὴν γυναῖκά σου*, minime igitur eo loco *παραλαμβάνειν* valet *uxorem ducere*, sed *domum recipere*, ut Tim. 17 (394, 38) et Herod. IV, 155. Itaque vereor, ne in Toxaride solum illa sit *παραλαμβάνειν* verbi significatio.

Προσάγειν 51 (242, 22) pro *προσάγεσθαι* dictum est. Cf. p. 70.

Σινδιανοί pro nomine quod est *Σινδοί* 55 (244, 20).

Συλλογιμαῖοι 19 (229, 14) pro voce quae est *σύγκλυδες*, qua utuntur

Thucyd. VII, 5 extr., Plato rep. VIII, 569 a. Herodian. 7, 7, 1 (175, 23 Bekk.), cf. Luc. Alex. 16 (II, 77, 17), de merc. cond. 24 (134, 34).

Bekk. anecd. 64, 8: *σύγκλυδες, σύλλεκτοι καὶ παντοδαποί.*

Hesych. *σύγκλυδες· σύλλεκτοι ἢ τινες μεμιγμένοι.*

Bachmann. anecd. Part. I p. 372 num. 28: *σύγκλυδες· σύμμικτοι, ἐπηλύται* explicatur. Cf. Suid. s. *συγκλύδων ἀνθρώπων.*

Στιβάδιον 31 (234, 23), *stibadium, lectulus* pro voce quae est *στιβάς, torus, stramentum* usurpatur. Cf. thes. Steph. ed. Paris. Etiam alia deminutiva nec contemptim nec blande usurpata leguntur in Toxaride, ut *γύναιον* 13 (226, 29), et *θυγάτριον* 22 (230, 34).

Προδιαβάλλειν significat in Toxaride 34 (235, 28) *antea insimulare, antea falso exprobrare*, cum vera verbi vis sit *antea calumniari, calumniando antevertere.*

Τακερὸς[1]) is qui amat in Toxaride tantum et tumidissime quidem

---

[1]) Aliter *τακερός* a Luciano catapl. 5 (328, 7) usurpatum est, cum enim ibi homines decrepitos Mercurius cum frugibus maturis comparet, ut iam ex verbis „*καθ' ὥραν τετρυγημένοι*" patet, propriis frugum maturarum attributis utitur; sed quia non apta imago est, eo fit, ut cum fruges maturas dicat molles atque succosas (hanc enim ibi vim *τακερὸς* habet) haec in senes non quadrent. Quam ob rem ironice ei assentiens Charo exlamat: *νὴ Δί' ἐπεὶ ἀσταφίδες γε πάντες ἤδη εἰσίν* (meiner Treue, da sie alle gar schon Rosinen sind). Non recte igitur in Steph. thes. ed. Paris. locus explicatur, cum de adiectivo

dicitur 15 (227, 20), (als sie ihn [vor Liebessehnsucht] feucht schimmernd sah); solet autem haec vox de amantium ebriis, putribus oculis usurpari,

cf. Alciphr. I, 28, §. 2. ταχερὸν βλέμμα βλέπεις, III, 85, §. 8. ταχερὸν καὶ ὑγρὸν προσβλέπων, alia, ut ταχεραὶ κόραι, in lexicis afferuntur.

Τετράκλινοι dicuntur ἅμαξαι 46 (240, 11—12), ridiculeque attributio domuum, cubiculorum propria (*οἶκοι τρίκλινοι, τετράκλινοι, πολύκλινοι* dici solent) ad plaustra, quae, ut Horatii verbis utar, Scytharum vagas rite domos trahebant, translata est.

Τομώτεραι πράξεις φιλικαί legitur 11 (225, 26); at *λόγοι* si *τομώτεροι* dicuntur, non est cur metaphora non probetur (cf. Dorvill. ad Charit. p. 483); *πράξεις τομώτεραι* cum vocantur, translatio intolerabilis est.

Οὕτω μὲν ὁ Μακέντης ἔφη τῷ Ἀρσακόμᾳ 53 (243, 22) rectene dicta sint, dubito; certe nihil simile invenire potui; (Latine nonnumquam „inquit" cum dativo coniungitur).

Χρόνῳ significare solet: procedente tempore, paullatim, tandem aliquando; at

χρόνῳ δὲ pro *ὕστερον δέ* (postea vero) in Toxaride 24 (231, 31) solum videtur esse dictum, neque apud Vigerium (p. 57) praeter hunc locum ullum aliud ad hanc significationem probandam exemplum affertur.

Cumque iam supra commemoraverim, scriptorem Toxaridis, id quod non leve signum est, eum ex posterioribus esse, non iam satis intellexisse, quae vis sit praepositionum, quibus voces subiungantur, eius rei haec fere exempla sunt:

Ἐπιζῆν, quod significare solet: ultra vivere, superstitem esse, pro *διασώζεσθαι* dictum est 60 (246, 8).

Etiam in verbo *ἐπικαλαμᾶσθαι* 16 (220, 10) praepositio *ἐπί* supervacanea videtur esse; Hesychius enim simplex verbum ita explicat: *καλαμᾶσθαι λέγουσιν, ὅταν ἐκ τῶν τετρυγημένων ἀπολείμματά τινα συνάγουσιν ἢ στάχυας*; (cf. Phot. 126, 16 et 17) atque apud Plutarch. apophth. reg. Antig. p. 105 haec, translata verbi

---

quod est ταχερός hoc dicitur: „Lucianus autem senes ταχεροὺς per iocum vocat, quod eorum caro veluti macerata et tabefacta sit vetustate."

significatione, leguntur: *ἐκεῖνος ἐθέρισε τὴν Ἀσίαν, ἐγὼ δὲ καλαμῶμαι.*

Ἐπικτησάμενοι 62 (247, 12) pro *κεκτημένοι* dictum est, nam non acquirunt duas uterque dextras.

Ἐπιπηδάω 20 (230, 8) pro *μεταπηδάω, μεθάλλομαι.*

Ἐπιτεχνᾶσθαι 13 (226, 25—26) (cuius vis est *machinari, comminisci aliquid adversus aliquem*) *ἔρωτά τινι* dictum est pro *τεχνήμασί τισιν ἐμποιεῖν* (*ἔρωτα*).

Insolenter praeterea *ἐπὶ* praepositio usurpata est in locutione *ἐπ' ὀφθαλμῶν λαμβάνειν* 20 (230, 5) pro *λαμβ. πρὸ ὀφθαλμῶν.* Lucian. Saturn. 36 (I, 437, 27) *λαβόντες πρὸ ὀ.*, Phal. I, 7 (45, 8) *τιθέμενοι*, tyrann. 7 (52, 24) *ἔχων*, Char. 20 (323, 17), gall. 38 (421, 23) *ἕστηκεν.*

Porro insolenter dicta sunt:

περιδεῖσθαι τὰ ὅπλα 60 (245, 37),

προΐεσθαι[1] (*τὰ ὅπλα*), [*permittere, prodere* (arma)] pro *ἀφιέναι* (*ῥίπτειν*) *τὰ ὅπλα*, arma *proicere* 54 (244, 2).

Ὑπεξαιρεῖν (*clam eripere*) significat Tox. 43 (239, 6) *liberare.*

Ὑπεξέρχεσθαι (*clam exire, subterfugere, elabi*) explicandum Tox. 17 (228, 23) *excedere, erumpere,* nam quomodo is elapsus esse (entschlüpfen, entwischen) dici potest, qui stricto gladio servos, qui eum comprehendere volebant, fugavisse narratur?

Ὑποχωρεῖν (*recedere, se recipere, se subducere, clam recedere*). Tox. 59 (245, 35) pro *ἀναχωρεῖν* dictum est.

In his vero, quae Tox. 14 (227, 1) leguntur: *καὶ τὰ πολλὰ ὑπεκωμῴδουν,* nec compositum verbum, quod in Toxaride solum invenitur, nec simplex apte dicitur. Ibi enim notio fingendi irrisionis causa requiritur, quod recte Iacobitius vidit, qui verbum quod est *ὑπεκωμῴδουν* vertit: „deridentes fingebant"; sed *ὑποκωμῳδεῖν* significat *subridere more comico, tacite mordere dicterio* ut id verbum in Steph. thes. translatum est; addi autem ibi debebat a Toxaridis scriptore aliam voci vim perperam subiectam esse.

Toxaris dialogus similis fabularum Romanensium IV. et V. saeculi.

Ex eis, quae exposui, satis apparet, narrationes et orationem Toxaridis dialogi similem esse scriptorum, qui extremo saeculo

---

[1]) Cf. p. 66. v. *κατατιθέναι.*

quarto et sequentibus fuerunt, de quibus Christ. Daniel Beckius: [1]) „Est illud levissimorum scriptorum genus, qui saeculo quarto et quinto amatorias composuerunt fabulas tales, quae leges verisimilitudinis omnes migrarent, ab inventione et ingenio scriptorum nullam haberent commendationem, narratione lectoribus taedium crearent, monstrarent denique pravae et servilis veterum imitationis vestigia.“ Quae igitur de fabulis amatoriis homo doctus iudicavit, omnia fere de Toxaride dialogo dici possunt, nisi quod eius scriptor non tam veteres, quam recentiores auctores imitatus est. Atque ut scriptoris descriptionem absolvam, optime is, quae Lucianus in rhetorum praeceptore praecepta dedit, et percepit et secutus est, praesertim haec: *Μέτει δὲ ἀπόρρητα καὶ ξένα ῥήματα καὶ σπανιάκις εἰρημένα ὑπὸ τῶν πάλαι, καὶ ταῦτα ξυμφορήσας ἀποτόξευε προχειριζόμενος πρὸς τοὺς ὁμιλοῦντας· οὕτω γάρ σε ὁ λεὼς ὁ πολὺς ἀποβλέψονται καὶ θαυμαστὸν ὑπολήψονται κ. τ. λ.* [2]) — *ἐνίοτε δὲ καὶ αὐτὸς ποίει καινὰ καὶ ἀλλόκοτα ὀνόματα, καὶ νομοθέτει τὸν μὲν ἑρμηνεῦσαι δεινὸν εὔλεξιν καλεῖν κ. τ. λ.* [3]) — *ἀλλὰ καὶ ἀναγίνωσκε τὰ παλαιὰ μὲν μὴ σύ γε, μηδ᾽ εἴ τι ὁ λῆρος Ἰσοκράτης ἢ ὁ χαρίτων ἄμοιρος Δημοσθένης ἢ ὁ ψυχρὸς Πλάτων, ἀλλὰ τοὺς τῶν ὀλίγον πρὸ ἡμῶν λόγους καὶ ἃς φασι ταύτας μελέτας, ὡς ἔχῃς ἀπ᾽ ἐκείνων ἐπισιτισάμενος ἐν καιρῷ καταχρήσασθαι, καθάπερ ἐκ ταμιείου προαιρῶν* [4]) — *μηδὲν δὲ μελλήσας λέγε ὅττι κεν ἐπ᾽ ἀκαιρίμαν γλῶτταν ἔλθῃ, μηδὲν ἐκείνων ἐπιμεληθείς, ὡς τὸ πρῶτον ὥσπερ οὖν καὶ ἔστι πρῶτον ἐρεῖς ἐν καιρῷ προσήκοντι .... ἀλλὰ τὸ πρῶτον ἐμπεσὸν πρῶτον λεγέσθω κ. τ. λ.* [5]) — *κἂν περὶ ὑβριστοῦ τινος ἢ μοιχοῦ λέγῃς Ἀθήνησι, τὰ ἐν Ἰνδοῖς καὶ Ἐκβατάνοις λεγέσθω.* [6]) His tamen asperis facetiis scriptor Toxaridis non retinebatur, quominus haec ipsa praecepta, quae irri-

---

[1]) Praef. in Charit. a Dorvill. edit.; cf. Wyttenb. in Xen. Ephes. ed. ab Hoffman-Peerlk. p. LXI. extr. et in. LXII.

[2]) 17 (71, 29—32).

[3]) 17 (71, 35—36).

[4]) 17 (72, 3—7).

[5]) 18 (72, 10—15).

[6]) 18 (72, 16—18), quam etiam hoc praeceptum Toxaridis scriptor non neglexerit, ex eis, quae infra de rebus in dialogo narratis disputabuntur, intellegetur.

dens Lucianus dedit, sequeretur, quin etiam ipsius Luciani imitationem recentiorum scriptorum contemnentis atque exagitantis orationem imitaretur! mirum hoc quidem, at multo magis illud mirandum, quod per tam multa saecula tot hominum, tam sagacium, qui legendis Luciani scriptis delectati sunt, perpauci intellexerunt, eum, qui rhetorum aequalium vitia tam acerbis salibus perstrinxerit, et eum, qui his ipsis vitiis cumulatus sit maximis, non posse unum eundemque esse.

Toxaridis scriptor post Alciphronem et Heliodorum videtur vixisse.

Deinde id ex eis, quae supra allata sunt, patet, non eam inter orationem Heliodori atque Alciphronis [1]) et Toxarim dialogum intercedere similitudinem, quae inter aequales scriptores intercedere soleat, sed dubitari non posse, quin aut illi Toxaridis scriptorem, aut hic illos imitatus sit. Verisimilius autem est, primum eum, qui serviliter atque saepe inepte Lucianum imitatus sit, ex aliis quoque fontibus [2]) hausisse, quam Heliodorum atque Alciphronem, cum multa eis veterum recentiorumque exempla suppeterent, Toxarim potissimum dialogum ad imitandum sibi elegisse. Neque recte hoc videtur posse conici, dialogum Alciphronis atque Heliodori tempore iam inter Luciani opera receptum fuisse, eosque non tam Toxarim potissimum, quam omnia Luciani scripta, atque ita eum quoque dialogum imitatos esse, cum eius imprimis similia

---

[1]) Non possum quin assentiar Augustino Wagnero, qui in secunda parte editarum ab eo Alciphronis epistolarum (p. 4) Christ. Saxium secutus medium inter Lucianum et Aristaenetum locum ei assignat.

[2]) Etiam a Plutarcho nonnulla furatus est; cf. *περὶ πολυφιλίας* c. II in. *ἡ τῆς πολυφιλίας ὄρεξις, ὥσπερ ἀκολάστων γυναικῶν* ... Tox. 37 (237, 1—2) *ὅστις ἂν πολύφιλος ᾖ, ὅμοιος ἡμῖν δοκεῖ ταῖς κοιναῖς ταύταις καὶ μοιχευομέναις γυναιξίν. Περὶ πολ.* c. III in. *οὐχ ὥστερ νῦν πολλοὶ φίλοι λεγόμενοι συμπιόντες ἅπαξ, ἢ συσφαιρίσαντες* ... Tox. 37 (236, 26—27) ... *ποιούμεθα τοὺς φίλους, οὐκ ἐκ τῶν πότων ὥσπερ ὑμεῖς, οὐδ' εἰ συνέφηβός τις* ... cf. etiam *περὶ πολ.* p. 95 e. *ὥσπερ οὖν ὁ Βριάρεως* ..., et Tox. 62 (247, 11 seq.). De verbo *καλαμᾶσθαι* supra iam dictum est (p. 74).

Neque in eis, quae Abaucham 61 (246, 32 seq.) dicentem facit scriptor sui tantum similis est (originell), perperam autem ea expressa esse supra (p. 32 seq.) demonstratum est. Atque persuasum mihi est, si quis me doctior ad hanc rem investigandam agressus sit, eum demonstraturum esse, unde omnia, quae luculenta videntur esse, scriptor furatus pleraque in deterius aut auxerit aut omnino detorserit.

apud eos inveniantur. Deinde ea, quae apud Alciphronem Heliodorumque et apud Toxaridis scriptorem communia reperiuntur, apte dicta et magis suo loco videntur esse posita apud eos, contorta et alieno loco inferta in Toxaride. Denique omnino magna ex parte concinnior atque purior eorum oratio est quam Toxaridis dialogi. Verisimile igitur mihi videtur esse, Toxarim dialogum aetate posteriorem esse quam Alciphronis atque Heliodori scripta. Accedit etiam quod ut eius sermo maximam partem ex illorum atque Luciani verbis et locutionibus compositus est, ita operum formae, ut ita dicam, a Luciano et Heliodoro usurpatae in eo coniunctae sunt, dialogus et fabellae: quarum duae amatoriae sunt; tum magnificarum rerum commenta (cf. exempli causa Heliod. X, c. 28, Tox. c. 43), et quae finguntur picturae atque caelaturae (cf. Tox. c. 6, Heliod. V, c. 14), aeque mirae atque absurdae sunt.

Aequalis fortasse Achillis Tatii, Xenophontis Ephesii etc. fuit.

Cum autem Achillis Tatii, Xenophontis Ephesii, Longi, Aristaeneti, Charitonis orationis eam solum cum Toxaride dialogo similitudinem deprehenderim, quae scriptorum, qui aetate non multum inter se distant, esse soleat, nihil vero invenerim, quod aut illi ex Toxaride aut ex eorum scriptis, qui aliorum scrinia compilare amat, Toxaridis scriptor sumpsisse recte dici possit, animus inclinat, ut censeam (certa enim haec non sunt, neque equidem certa indagari posse existimo) eum aequalem illis fuisse.

Atque ita minus etiam certe illud investigare potui, quis dialogum composuerit; coniectare autem de scriptore supervacaneum esse existimavi, primum quod multo verisimilius erat, coniectura me aberraturum quam veri quicquam consecuturum fuisse, deinde quod tam vilem libellum cuiusquam nomini addicere ignominiamque tantam ei inurere, nisi firma essent argumenta non licere putavi. Si quod autem exstet et inveniatur opus, cui eadem, quae exposui, vitia insint, certi cuiusdam saeculi IV. vel V. scriptoris, non dubitem, quin huius etiam Toxaris dialogus sit.

Christianus non videtur fuisse dialogi scriptor.

Christianum autem scriptorem non fuisse ex his rebus conicio, quod exemplum egregiae in amicum benevolentiae Agathoclem finxit, qui Diniae adulteranti, ut Plauti verbo utar, ferentarius sodalis est, quodque Zenothemim Menecratae filiae, ut eam matri-

monio secum coniungat, virginitatem violantem facit; deinde non puto christiani scriptoris illorum certe temporum esse, egregios amicos caedem atque fraudem committentes producere, aut comminisci, amicum amici causa gladiatorio certamine pugnasse, quod eis, qui christianae doctrinae addicti erant, per sacra eorum praecepta detestabile videri debebat et videbatur[1]); denique verisimile non est christianum dicturum fuisse, *ἑωρῶμεν θηρία — ἐπ᾽ ἀνθρώπους δεδεμένους ἀφιέμενα, κακούργους τινάς, ὡς εἰκάζομεν,* cum qui Christi disciplinam sequebantur saepe etiam innocentes ad bestias missi sint.

Fortasse Romanus fuit.

Iam ad extremum non alienum arbitror quaerere, cuias dialogi scriptor fuerit. Nam quamquam ea, quae de hac re proponere possum, non eiusmodi sunt, ut certi aliquid ex eis colligere audeam, tamen omittenda non videbantur, cum homines doctos in dubiis rebus nonnumquam multo levioribus ad probandum argumentis uti vidissem. Primum igitur adducor ut credam, illum Graecum non fuisse, quod ne quinti quidem saeculi Graecum hominem fuisse sermonis patrii tam ignarum existimari potest, quam eum fuisse qui Toxarim dialogum composuerit ex multis, quae supra allata sunt, perspicitur. Deinde inveniuntur quaedam in dialogo, quae Romani esse videantur. Narrantur enim Orestes et Pylades naufragium fecisse, quod a Graecorum de illis fabula alienum est, consentit cum argumento Pacuviani Dulorestae, ut Naekius dilucide demonstravit[2]), id vero a Toxaridis scriptore ex alieno fonte haustum, non ad rem exornandam periculumque augendum fictum esse, verisimile[3]) propterea est, quod huius naufragii procedente narratione nulla omnino ratio habetur, nam amici, cum fugituri sint, navem suam paratam habent: neque porro eos Thoante occiso aufugisse a Taurica terra Graecis fabulis proditum est, narrabatur autem a Romanis atque hoc fortasse ab eorum aliquo

---

[1]) Rhein. Museum. Tom. X p. 582 (Friedländer, Gladiatorenkämpfe zur Kaiserzeit). Beckers röm. Alterthüm. fortges. v. Marquardt IV, p. 509, not. 80. Tertull. apolog. 9. de pudicit. 22.

[2]) Commentatio de Duloreste, in indice schol. in acad. Rhen. habend. 1822 p. 5.

[3]) Dico tantum verisimile esse, quia nulla neglegentia in Toxaridis scriptorem non convenire possit.

poëta fictum est[1]). Deinde etiam illud, quod certamine gladiatorio Toxaridis causa Sisinnes pugnase fingitur magis in Romanum declamatorem quam in sophistam Graecum cadit. Romanis enim aut certe hominibus eorum moribus et disciplina institutis atque imbutis eius generis declamationes usitatas fuisse nonnullis exemplis probavit Friedlaenderus[2]). Denique in oratione quaedam insunt, quae Latinum sermonem redolere mihi videntur, quae maxima ex parte iam supra allata sunt, ut *διάβροχος ἔρωτι* (perfusus amore), *ἐδώδιμος* (homo qui comedi potest), *προΐεσθαι τὰ ὅπλα* (proicere arma), *τεθηγμένοι λόγοι* (acutae orationes), *φημί* verbum cum dativo coniunctum, *ἔφη τῷ Ἀρσακόμᾳ* 53 (243, 22) (inquit Arsacomae), *εἰ μὴ νὺξ τὸ ἔργον ἀφείλετο* (nisi nox pugnam diremisset); fortasse etiam ad *κλεῖστρον* pro vocabulo, quod est *κλεῖθρον* usurpandum inductus est scriptor Romanus Latino verbo quod est *claustrum*. Repeto autem quod iam initio dixi, non satis firma ad aliquid certo probandum haec argumenta esse, attamen non ita levia, ut in re tam dubia omittenda ea esse existimem.

---

[1]) Naek. l. all. p. 7.

[2]) Rhein. Museum für Phil. X p. 551 extr., p. 552, not. 5, p. 554, not. 3.

Ex eis, quae in Toxaride narrantur, de aetate, qua scriptus sit, nihil certi colligi posse.

Im Toxaris kommen Beispiele von Freundschaft bei den Scythen vor, die zum Theil, wie sie dastehn, in keine Zeit passen, am wenigsten aber in die Lucianische. Dahlmann, Forschungen auf dem Gebiet der Geschichte II, 1, p. 29.

Haec ergo sunt, quae oratione examinanda investigare potui; ex rebus autem quae in Toxaride narrantur de aetate scriptoris ne coniectari quidem, ut supra dixi, verisimile quicquam potest. Nam etiam si vera essent in aetatemque Luciani caderent ea, quae se ex suo tempore proferre scriptor affirmat, tamen cum Luciani orationem serviliter sit imitatus, atque opinari liceat, eum illius dialogum putari voluisse, credi posset eum omnia consulto ex illius temporibus sumpsisse; quamquam non verisimile est eum, qui ut liber suus pristini cuiusdam scriptoris esse videatur, omnia ita fingere studet, ut in illius tempora conveniant, nullo tamen indicio eam, qua ipse est, aetatem prodere. At ea, quae in Toxaride narrantur non vera, sed ementita et falsa plenave erroris omnia sunt. Cumque etiamsi ex falsis atque ementitis quicquam conici prorsus nequit, ex eis tamen quae erroris plena sunt colligi aliquid posse videatur (licet enim existimare, eum qui in eis rebus referendis erret, quae omnibus qui aequales eius aetatis sint, qua res evenisse dicantur, notae esse debeant, posteriore tempore fuisse; consulto autem depravare atque ementiri res etiam sui temporis aliquis potest; ea vero quae omnibus partibus sunt ficta et composita aut nullo aut omni tempore videantur accidisse posse) diiudicari plane nequit, in quibus Toxaridis scriptor inscientia erraverit,

quaeve consulto ficta proferat. Cum autem iam per has difficultates aetas scriptoris investigari nequeat, accedit etiam illud, quod quae aequalia esse dicuntur, unius eiusdemque temporis esse non possunt. Denique id aetatis indicia indagantem ad desperationem adducit, quod quae temporis aliquam significationem habere verisimile est scriptor non ipse expertus profert, sed ut orationem ex aliorum libris consarcinavit, ea quoque ex litteris sumpsit, congessit, partim de industria detorsit, partim neglegentia aut inscitia permiscuit, ita ut plane cognosci non possit, quibus in rebus ipse erraverit atque mentitus sit, et in quibus auctores quosdam errantes secutus sit. Atque ita fit, ut ne ex eis quidem erratis, quae posteriorem, quam qua Lucianus fuit, aetatem videntur indicare, colligere quicquam audeam, cum videam alium prioris aetatis scriptorem casu quodam in simili atque illum errore versatum esse. Scriptor autem ipse, ut se fictas res prolaturum quodammodo significat verbis: *ἄλλως γὰρ πλάττειν τὰ τοιαῦτα οὐ πάνυ χαλεπόν* 11 (225, 32), cf. 56 (244, 24) *πάνυ τραγικὰ ὦ Τόξαρι καὶ μύθοις ὅμοια,* ita voluntate narrationes ea ratione composuit, ut refutatio obscura esset [*ὁ ἔλεγχος ἀφανής* 11 (225, 33)], quod et ex eis apparet, quae supra exposita sunt (p. 12 v. 20 sqq.), et ex eo, quod cum nomina Bosporanorum regum fingat, Romanum imperatorem, ad quem Dinias missus sit, praefectosque, qui Epheso urbi atque Alexandriae praefuerint, non nominat, quin etiam ne diserte quidem prodit, Alexandriae ea, quae de Demetrio et Antiphilo narret, evenisse se fingere.

Iam ea, quae generatim exposita sunt, singulis rebus excutiendis sunt confirmanda. Ac primum quidem ex eo, quod Dinias in insulam Gyarum missus esse narratur, colligi cum Solano aliisque non potest, in Luciani tempora narrationem cadere; in Gyarum enim insulam non relegabantur sed deportabantur rei, Luciani autem aetate lex Iulia valebat, qua adulteri relegationis poenam subibant[1]); deinde relegare praesidibus ipsis licuit, neque iudicium eorum per imperatorem ratum fieri opus erat; denique omnino Dinias non videtur, ut homines docti putaverunt, adulterii, sed caedis damnari debuisse mortique addici, cum non solum, ut se defenderet, maritum Charicleae, sed Charicleam etiam interfecerit.

---

[1]) Walter, römische Rechtsgeschichte §. 773, vol. II p. 435.

Deinde ex eo, quod Dinias in Italiam missus esse narratur, videtur quidem conici posse, scriptorem antequam Constantinopolis domicilium imperii facta sit vixisse, quia postea reorum causae iam non Romam mittebantur; sed quoniam Dinias ipse Romam missus esse fingitur, cum non ipsi rei provinciales sed causae quaedam eorum Romam mitti solerent[1]), ut per imperatorem sententia a praeside lata rata fieret, neque diiudicari potest, utrum in ea re, quae aequalibus quidem illorum temporum, quibus Roma sedes imperii erat, notissima esse debebat, scriptor erraverit, an ut Agathoclis magna in amicum benevolentia etiam ex eo patefieret, quod amicum in Italiam comitatus esset, rem consulto ita commentus sit, ne ex hac quidem re colligi potest, aut eum ante mutatam imperii sedem aut postea fuisse; praesertim cum, id quod iam supra memoravi, etiam posterioris aetatis scriptor rem ita fingere potuerit, quasi priore tempore evenisset.

Non magis ex eis, quae de Massiliensibus traduntur, quicquam investigari potest. Statuamus enim verum esse, quod de instituto eorum tradatur, idque scriptorem expertum referre, tum quidem id primum colligi possit, ante sextum saeculum scriptorem fuisse, quod extremo quinto Massilia a Gothis subacta est[2]), Agathiasque qui sexto saeculo fuit de mutatis reipublicae institutis queritur[3]). Deinde cum usque ad illud tempus apud Massilienses

---

[1]) Geib (Römisch. Criminalrecht p. 490—491) docet illis, de quibus agitur temporibus, omnia facinora ibi iudicari debuisse, ubi commissa fuerint atque raro tantum in ea urbe, in qua reus domicilium habuerit, iudicium factum esse. Quod autem relegare quidem et (p. 478) deportare in locum, qui non ipsius provinciae esset, praesidi non licuit, verisimile est, si quis a praeside in locum, qui non ipsius esset provinciae relegatus vel deportatus sit, ab illo poenam decretam ab imperatore vero locum assignatum esse; ut praefectus urbis relegandi deportandique in insulam quam imperator assignavit licentiam habuit. (Invernizzi de publicis et criminalibus iudiciis p. 53, v. 12.) Atque ut ne aliquid neglexisse videar, huc parvi quod est momenti addo: quod dicitur Agathocles simul cum amico *εἰς τὸ δικαστήριον* venisse, cum *δικαστήριον* nihil aliud sit nisi iudicium, non recte conici potest, hoc vocabulo significari aut consilium quod ab Hadriano ordinatum certe usque ad Alexandrum Severum permansit (Geib, l. a. p. 428) aut consistorium quod huius consilii nomen Diocletiano imperatore erat. (Geib, l. a. p. 691.)

[2]) Gron. thes. antiq. Graec. (Hendreich) p. 3004. Fabre: Histoire de Marseille I, 182.

[3]) Agathias 1, 2 *νῦν ἐξ Ἑλληνίδος ἐστὶ βαρβαρική, τὴν γὰρ πάτριον ἀπο-*

disciplinae gravitatem, priscique moris observantiam, quas sua etiam aetate apud eos viguisse Valerius Maximus[1]) prodit, integras mansisse credi non possit, sed verisimile sit[2]), mores eorum iam tertio saeculo depravatos atque instituta mutata fuisse, quin etiam eos iam Taciti[3]) aetate non dignos ea laude fuisse, quam is eis attribuat[4]), conici debeat, scriptorem Luciani tempore vel potius ante Lucianum fuisse, cum eum aetate posteriorem esse, ostenderimus. Sequitur igitur, quod mihi quidem argumentatione non videtur eguisse, ut scriptor neque quae ipse praesens cognovit, neque quae ab aliis expertis accepit tradat, sed ut ea, quae ex litteris sumpsit, de Massiliensibus suae aetatis narret, quamquam apud eos iam non valebant, si umquam plane eiusmodi, ut in Toxaride proditur, institutum apud eos valuit. Nam etiam si credi possit, eum, qui semel[5]) *παρανόμων* convictus fuerit, maxima capitis deminutione bonorumque publicatione multatum esse, verisimile non est, aut Strabonem[6]), cum de rebus Massiliensibus referret, aut certe Valerium Maximum[7]), cum singulas leges atque instituta exponeret, hanc severissimam legem, si apud Massilienses valuisset, non prolaturum fuisse ut gravis disciplinae exemplum; praesertim cum uterque in eius generis rebus prodendis diligentissimus sit. Apparet ergo aut aliquam Massiliensem legem, Atheniensis legis de ter *παρανόμων* convictis[8]) similem falso traditam

---

βεβληκυῖα πολιτείαν τοῖς τῶν κρατούντων χρῆται νομίμοις (corpus scriptorum hist. Byzantinor. B. G. Niebuhr. III, p. 16, v. 21 — p. 17, v. 2.)

[1]) Val. Max. II, 6.

[2]) Brückner, Hist. reip. Massil. p. 45—46. Fabre, l. a. p. 138—139. Athen. XII, 523 c.

[3]) Brückner l. a. 27: Neronis temporibus libertatis species .... exstingui coepit. Fabre, l. a.; nullo pacto autem statui potest, quod Fabrius videtur existimasse, antiquam legum severitatem viguisse, attamen mores prorsus depravatos esse (p. 139 elle avait les mêmes lois etc.).

[4]) Agricola c. 4.

[5]) Errat Meierus, qui (in libro de bonis damnatorum p. 200) ex hoc loco colligit, Massiliae ter *παρανόμων* convictos infamia notatos esse; quem errorem viri de Atheniensium iuris disciplina tam bene meriti mihi non praetermittendum esse putavi; aliorum nugas praetereo.

[6]) Strab. IV, 1, §. 5, p. 179—180; (Kramer. ed. mai. I, 279 seqq.)

[7]) Val. Max. II, 6, §. 7—10.

[8]) Meier. l. a. p. 130: siquis oratorum apud Athenienses ter *παρανόμων* convictus erat, aut infamia media, aut, quod verisimilius est, infamia minima puniebatur.

aut illam ipsam a scriptore detortam esse et Massiliensibus attributam. Atque quoniam, ut hanc, quam attuli, Atheniensem legem, ita illam [1]) de matrimonio virginitate interfecta contrahendo litteris didicisse scriptor potuit, ne ex hac quidem conici potest, eum aut Caracallae aetate aut ante hunc imperatorem fuisse, quod post eius constitutionem Antoninianam de civitate variae singularum provinciarum atque urbium leges exstingui coeptae sint.

His examinatis priusquam ad ea, quae de Demetrio atque Antiphilo narrantur perscrutanda transeo, exponendum mihi videtur, quam legem in eiusmodi rebus pervestigandis sequendam esse censeam, quod ea neglecta in miros homines quidam docti errores inducti sunt. Videndum enim est, utrum qui res narret fide dignus sit, nec ne, quaeque fidus auctor tradidit, vera esse credenda sunt, etiamsi ab eo uno referuntur, nisi vel firmioribus argumentis ex aliis scriptis petitis refutari possunt, vel per se fieri ea non posse aut potuisse patet. Cum autem non certus auctor non satis credibilia tradidit, perscrutandum est, utrum inscitia et neglegentia ea falso tradiderit, an consulto finxerit. Atque cum in eis, quae inscitia et neglegentia falso narrata sunt, aliquid veri inesse soleat, hoc non

---

[1]) Quamquam mihi maxime dubium est, num omnino ullam certam legem de matrimonio virginitate interfecta contrahendo hic scriptor respexerit. Iacobus quidem (Tox. p. 93) ex Meieri libello de doctrina Attica forensi (p. 67) quaedam affert, ut eiusmodi legem apud Athenienses fuisse probet, sed librum Meieri inspicere mihi non licuit atque vereor ne, quae a Meiero exposita sunt Iacobus, ut solet, male intellexerit. In noto enim illo libro (Meier und Schömann, attischer Process) legis eius generis mentio nulla facta est, sed tantum docetur (p. 409) solo, ut ita dicam usu (aut contubernio; utrumque vocabulum cur non satis apte hoc loco usurpari possit, homines docti ipsi intellegent) ad liberos procreandos matrimonium contrahi potuisse (..... das blosse Zusammenwohnen in der Absicht, um gesetzlich Kinder zu zeugen, die zur Familie des Vaters gehören sollten, das Dasein der Ehe begründet); dicit quidem homo doctus (p. 412): .... freilich beruht die Annahme, dass jener diese (stuprirte) zu ehelichen verpflichtet gewesen sei, auf Aeusserungen der Komiker, aber dass ein Solonisches Gesetz ausdrücklich dieser Annahme widerstreite, kann ich nicht zugeben; sed primum ne his quidem probatur, solo concubitu, ut Iacobus vult, matrimonium contrahi potuisse; deinde ex Solonis lege, qua puniebatur, qui virginem a se stupratam uxorem ducere nolebat, ac non cogebatur, ut eam uxorem duceret, apparet, non utique obligatum fuisse eum, qui virginem stupravisset, ut eam in matrimonium assumeret; multari autem eum, qui virginitatem puellae violaverit neque eam uxorem ducere velit, neque unius populi Atheniensis erat neque certae cuiusdam aetatis est.

ex his solis inveniri potest, sed collatis eis, quae alii fide digni scriptores de eisdem rebus scripserunt. Quae ergo a scriptoribus neglegentibus rerumque insciis solis tradita sunt, ea multo verisimilius est falsa esse quam vera. Quae vero ab aliquo, qui res consulto ementiri solet, solo tradita sunt, ea plerumque prorsus falsa esse statuendum: sunt autem ea nonnumquam mera opinionis commenta, interdum vera quoque detorta in eis insunt, ex quibus aliqua temporum in quibus composita sunt similitudo elucet, quae tamen investigari ita tantum certe potest, si aetas qua fictae narrationes compositae sunt nota est. Qui igitur res a scriptoribus neglegentibus rerumque non satis peritis creduli accipiunt, persaepe falluntur, qui a mendacibus scriptoribus narratas res veras esse credunt, falluntur paene semper. Quorum credulitas etiamsi non laudanda est, tamen multo rectius faciunt, quam ei, qui ex rebus quae a neglegentibus aut mendacibus scriptoribus referuntur alia quaedam colligunt, quae et horum narrationibus repugnant neque cum eis, quae constant, congruunt. In his generatim exponendis tam longus fui, ne omnia, quae a multis coniectata sunt, singillatim refellere cogar.

Ut vero ad singula pervestiganda aggrediar, narrat Toxaridis scriptor, Demetrium Suniensem (Atheniensem, nam *Σούνιον* Atticus *δῆμος* vocabatur) suo tempore in Aegyptum profectum esse atque inde ad Brachmanas ivisse eo consilio, ut ex tota narratione videtur colligi posse, ut ibi maneret; quia autem de Demetrio cynico Suniensi a nullo quicquam traditum sit, homines docti[1]), hunc non Suniensem sed Corinthium fuisse colligunt (vel Suniensem-Corinthium, nomine inepto ad rem absurdam apte copulato), neque Luciani tempore sed Vespasiano imperatore fuisse, quamquam ille neque in Aegypto in vincula coniectus neque ad Brachmanas profectus esse ab ullo traditur; resque fictas non Demetrio ficto, sed Demetrio[2]), qui revera fuit, accidisse affirmant[3]).

---

[1]) Iacob. Iacobit. Fabr. b. gr. III, p. 515. Pauly, Reallexicon, II, p. 937.

[2]) Profectus esse dicitur Demetrius ut sonum oriente sole edentem audiret Memnonis statuam, quae Alexandro Severo imperatore increpare desiisse fertur. Cur vero ne haec res quidem ad Toxaridis aetatem indagandam quicquam conferat ex eis, quae iam exposui, satis perspicuum est.

[3]) Vix operae pretium est monere, solum hominem nullis opibus praeditum

Porro quis Rhodius sophista fuerit, si quidem umquam fuit, equidem investigare non potui, praesertim cum ne illud quidem pateat, utrum Rhodius civis an nomen ei Rhodio fuerit. *Σοφιστὴς* [c. 27 (232, 40)] autem non est praestigiator, ut volunt interpretum plurimi, inepte enim diceretur Demetrius praestigiatore duce ad virtutem illam admirabilem institutum esse, neque solum post Luciani aetatem sophistae nomen honorificum erat, sed etiam tempore Luciani [1]), et is ipse [Herod. 8 (I, 13, 5—6)] eos praedicans, qui eum audiunt, *ῥητόρων τε καὶ συγγραφέων καὶ σοφιστῶν δοκιμωτάτους* appellat. Neque causa erat, cur offenderent homines docti in eo, quod Rhodius ille dicitur et cynicus et sophista fuisse, nam cum ex eis quae attuli apparet, potuisse hoc fieri imperatorum tempore, tum fuerunt etiam quidam sophistae simulque cynici, ut Diogenes qui Vespasiano imperatore vixit (Fabr. bibl. Graec. III, p. 519) et Antiochus Aegeas Cilix (Fabr. bibl. Graec. III, p. 512), discipulus illius Dionysii, quem Hadrianus maximi fecit. Deinde non posse Rhodium [2]) illum sophistam Agathobulum discipulumque eius Demetrium Corinthium esse, iam ex Demonactis vita perspicere homines docti debebant. Ibi enim [c. 3 (II, 311, 2)] haec leguntur: *οὐκ Ἀγαθοβούλου οὐδὲ Δημητρίου πρὸ αὐτοῦ.* Mihi autem et Rhodius magister et Demetrius discipulus ficti esse videntur; frustra certe homines docti quaesiverunt, qui fuerint, neque ego aliud quicquam reperi, nisi eos qui sibi aliquid invenisse viderentur, falsos esse: non igitur ex nominibus Rhodii et Demetrii quicquam de aetate scriptoris colligi potest.

Neque ex eis, quae de his amicis narrantur, quicquam colligi potest. Plurima enim inepte ficta esse iam supra demonstratum est. Deinde cum omnino veteres, Graeci numquam, Romani per-

---

illis temporibus ad Brachmanas pervenire non potuisse; fortasse autem ad hanc peregrinationem fingendam motus est scriptor ea re, quod Plotinus, ut Brachmanarum sapientiam cognosceret, consilium ad eos se conferendi ceperat; quod ut exsequeretur cum Gordianum adversus Persas proficiscentem comitaretur, imperatore in Mesopotamia necato non solum propositum peragere non potuit, sed vix ei magnis in periculis versato in Aegyptum reverti contigit.

[1]) Philostr. vit. Aeliani (Perizon. in praef. Ael.) *ἐπαίνου μοι δοκεῖ ἄξιος ὁ ἀνὴρ οὗτος … ὅτι προσρηθεὶς σοφιστὴς ὑπὸ τῶν χαριζομένων τὰ τοιαῦτα οὐκ ἐπίστευσεν … οὐδὲ ἐπήχθη ὑπὸ τοῦ ὀνόματος οὕτω μεγάλου ὄντος.*

[2]) Cf. interpp. Solanum et qui ei assensi sunt Iacobum (p. 98) et Iacobitium; qui unde cognoverint Agathobulum Rhodium fuisse nescio.

raro carceris poenam irrogarent, tum sacrilegos Graeci morte[1]), Romani lege Iulia aquae et ignis interdictione, posterioribus autem temporibus aut damnatione ad bestias aut ad metalla, aut deportatione aut furca aut morte puniebant[2]). Etiam vincula aeterna igitur aut merum opinionis commentum sunt, aut ad ea fingenda scriptor ea re inductus est, quod carceris poena etiamsi non usitata apud Romanos erat, interdum tamen irrogabatur. Examinare autem, num Aegyptiorum legibus sacrilegi in vincula condemnati sint, omisi, quod plane supervacaneum esse existimavi; nam neque Antiphilum Aegyptiis legibus punitum esse verisimile est, neque Aegyptiorum de sacrilegis leges mitiores fuisse quam Romanas, neque scriptorem, cum reliqua finxerit aut neglegenter narraverit, Aegyptiorum leges, ut aliqua saltem accurate referret, investigasse. Accidisse vero ea, quae de Anubidis templo spoliato narrantur, oporteret, si umquam accidissent, ante V. saeculum, quia quarto extremo et initio quinti templa gentilium in Aegypto diruta sunt deique pagani coli vetiti[3]); cur autem ne ex hoc quidem certi quicquam colligi posse existimem, ex eis quae (p. 80—81) universe exposui perspicitur.

Neque συναρμοστής nomen ullam ad certum tempus definiendum facultatem praebet; nam si συναρμοστὴν correctorem (praesidem) esse iudicas, nihil aliud efficitur, quam quod iam reperimus, procedentibus imperatorum temporibus dialogum esse scriptum, si vero hac voce collegam magistratus significari statuis, hoc tantum colligi potest, scriptorem non ignorasse, ante administrationem imperii a Constantino mutatam Roma praeter praefectum etiam iuridicum in Aegyptum mitti solitum esse.

Deinde ex eis, quae de Amizoce narrantur iam propterea nihil effici potest, quod dicuntur Scythae cis Tanaim flumen ultraque, Sarmatae trans flumen habitasse, cum hoc constet, multo ante Toxarim dialogum scriptum Sarmatas in Europam migrasse, neque iam Strabonis aetate Tanai flumine ab Europaeis Scythis divisos

---

[1]) Meier. de bonis damnatorum p. 15 et 17. Aelian. XI, 5, p. 637, not. 4 (cf. V, 16, p. 396), Alciphr. III, 43, §. 5.

[2]) Rein, Römisches Criminalrecht p. 691—695.

[3]) Schröckh, Christliche Kirchengeschichte VII, p. 222 — 224, 226, (de templis Alexandriae dirutis) 243, 249.

fuisse[1]). Quod vero dicitur horum dimidia pars trans flumen fuisse, ineptum esse mendacium patet; neque ad hoc ex parte saltem probandum adhiberi potest Xenophontis ille locus (Memorab. II, 1, 10) *ἐν δὲ τῇ Εὐρώπῃ Σκύθαι μὲν ἄρχουσι, Μαιῶται δὲ ἄρχονται,* qui homines doctos praeter rem magnopere exagitavit. Tenendum enim illud, Xenophontem non geographiam docere velle, sed aliud agentem in exemplo ad hoc probandum afferendo neglegenter de Maeotis falsa proferre. Nam utut locus explicatur[2]), hoc tamen certum est, perperam obnoxios Europaeos dici Maeotas, cum Asiani sint. Nihil igitur ex hoc loco de Scythis, neque de eorum trans Tanaim sede, neque eis umquam imperium in Maeotas fuisse coniectari potest.

Porro quo tempore Leucanor et Eubiotus in Bosporo regnaverint, inter homines doctos controversia est; apparet igitur non posse ex eis, quae de his regibus a Toxaridis scriptore tradita sint, aetatem eius exquiri. Attamen pluribus verbis de hac re disserendum est atque demonstrandum, omnes qui Leucanorem et Eubiotum numero regum Bosporanorum inseruerint errasse. Cum ergo alteri[3]), quod ignotum sit, qui post Spartocum (regnavit hic a 303—288 ant. Chr. n.) regnaverint, ei illos successisse putent, alteri[4]) Antoninorum tempore eos si non totius Bospori attamen partis imperium tenuisse arbitrentur, prius examinemus opinionem priorem fingamusque Luciani tempore scriptum esse dialogum, quamquam eum post illius aetatem scriptum esse ostendimus, concedamusque quod minime concedendum, neque quaeramus, unde res privatorum hominum, qui quattuor saeculis ante eum fuerint, tam accurate Toxaridis scriptor cognoverit. At illud interrogo, quo iure homines docti ea, quae scriptor suis temporibus facta esse dicit, quattuor saeculis ante evenisse affirment. Respondebunt credo: „refert auctor Bosporanos stipendiarios Scytharum

---

[1]) Strabo II, 5, §. 30, p. 128 (Kram. I, p. 195, v. 17) et multis aliis locis. Ptol. VI, 13—15. Neumann l. a. p. 171, 147, not. 4, p. 214, not. 3.

[2]) Cf. Neum. l. a. p. 216. Si quis autem putat, Scythas Europaeam oram paludis Maeotiae habitantes a Xenophonte Maeotas dici, non liberatur hic crimine neglegentiae, nam neque vocabantur Maeotae, qui in Europaea ora habitabant Scythae, neque obnoxii erant ceteris Scythis sed eis imperabant; erant enim Herodoti *Σκύθαι βασιλήϊοι* (IV, 20).

[3]) Römel. alios secutus: Encyclopädie von Ersch u. Gruber XII, p. 75 a.

[4]) Inter eos celeb. Boeckhius, corp. inscript. II, p. 96.

fuisse, post fugatos vero e Chersoneso a Mithridate Scythas nullum iam a Bosporanis eis tributum collatum est; porro Scythae tempore Luciani paene omnes iam exstincti erant[1]), antiquas certe sedes iam non omnes tenebant; tum noti sunt reges omnes Bosporani qui Antoninorum aetate fuerunt;“ ex his autem nihil aliud sequitur nisi ut falsa sint ea, quae auctor tradidit; nam, ut supra exposui[2]), non possunt ex eis, quae scriptor memoriae prodidit, quia non verisimilia sunt, ea colligi, quae ab his aliena minus etiam verisimilia sint. Neque quod qui Spartoco successerunt reges ignoti sunt, haec doctis hominibus satis gravis causa esse debuit, cur reges qui quattuor saeculis post fuisse in Toxaride finguntur, in illud tempus transferant; nam errasse eum scriptorem, quem cum ea non ignoret quae nemo alius tradidit oportet rerum peritissimum esse existiment, atque credidisse suo tempore regnare eos qui ante quattuor saecula fuerint, statuere eis non licet. Et ne quis nihilominus dicat, solum Toxaridis scriptorem ea non ignorasse, quae nemo veterum qui de Bosporanis rebus retulerunt, videtur nosse, eumque de industria ea, quae multo ante evenerint, ita narrare, quasi suo tempore acciderint, ne tertio quidem ante Christ. n. saeculo ea quae traduntur facta esse possunt. Dicuntur enim Alani vicini Scytharum atque Bosporanorum cum his coniuncti Scythis bellum intulisse, Alani autem illis temporibus neutris eorum finitimi erant. Illi igitur qui post Spartocum (303—288 ante Chr. n.) Leucanorem atque Eubiotum regnasse sumpserunt, ideo quod ea, quae dicuntur Luciani aetate evenisse, tum accidisse non possunt, repugnante auctore collegerunt, ea quattuor ante saeculis facta esse, cum ne illo quidem tempore evenisse possint.

Boeckhius[3]) autem iam ex hoc, quod Alani commemorentur finitimi Bosporanis atque Scythis, collegit Luciani aetate evenisse ea, quae narrentur; cum tamen Alani etiamtum nondum sed extremo tertio saeculo demum e sedibus suis moti usque ad lacum Maeotium atque in Europam progressi sint[4]), atque ergo iam ex hac

---

[1]) Forbiger, Handbuch der alten Geographie II, p. 461, not. 100; cf. supra p. 89, not. 1.

[2]) p. 85—86.

[3]) Corp. inscript. II, p. 93 b. extr. 94 a.

[4]) Ptolemaei aetate in antiquis sedibus Alani erant, ei autem ex quorum scriptis, eos ad lacum Maeotium in Europamque progressos esse atque in Cher-

re sequatur, ut Luciani aetate Leucanor atque Eubiotus non regnaverint. Deinde, quoniam eius temporis reges noti sunt, vir clarissimus statuere cogitur, Leucanorem atque Eubiotum partis tantum Bospori imperium tenuisse, partemque certe Bosporanorum illo tempore Scythis tributum contulisse, cum appareat, neque scriptorem de parte Bospori referre, neque ea, quae narrentur, nisi in totum regnum cadere. Statuendum igitur reges Leucanorem atque Eubiotum non minus fictos esse quam res ab eis gestas, tenendum autem hoc, scriptorem, cum haec comminisceretur, respexisse illa, quae de tributo Scythis a Bosporanis recusato tradiderit Strabo[1]); nam, ut iam commemoravi, non semper mera commenta scriptor profert, sed nonnumquam etiam errat, aut ea, quae ab aliis tradita sunt, detorquet. Cuius rei in eis quae de Lonchate atque eius amicis narrantur unum insigne exemplum certum, alterum verisimile habemus. Dicuntur enim Alani promisisse, se in ditionem Scytharum redacturos esse Sindos, qui multo ante defecissent. Quod miror neglegentia praeteritum esse ab hominibus doctis, qui Toxaridis scriptorem rerum Scythicarum peritissimum esse existimaverunt. Sindi enim iam quarto saeculo ante Christ. n. a Bosporanis subacti armis erant[2]), num vero omnino umquam Scythis obnoxii fuerint, valde dubitandum est. Manifestum autem est, his Herodoti verbis (IV, 28): *πήγνυται καὶ ὁ Βόσπορος πᾶς ὁ Κιμμέριος καὶ ἐπὶ τοῦ κρυστάλλου οἱ ἐντὸς τάφρου Σκύθαι κατοικημένοι στρατεύονται καὶ τὰς ἁμάξας ἐπελαύνουσι πέρην ἐς τοὺς Σινδοὺς* scriptorem aut in errorem inductum esse, aut in eam cogitationem adductum, ut de Sindis subigendis Alanos pollicentes faceret.

His expositis verisimilius fore credo id, quod moniturus sum. Persuasum enim mihi est, ut Machelones ex sede eorum in Euro-

---

sonesum Tauricam penetrasse accipimus, sunt tertii extremi aut quarti saeculi auctores. Cf. anonym. peripl. Pont. Eux. p. 5 (Huds. p. 171 circa IV. saecul. p. Christ. n. eum fuisse demonstrat). Marcian. (qui quart. saecul. erat) p. 56 ed. Huds. Bernhardy Dionys. Perieg. p. 595—596, cf. p. 515, et scriptores ab eo prolatos. Tzschuck. ad Pomp. Mel. 2, 1, 2.

[1]) Strabo VII, 4, 4, p. 310 (Kram. II, p. 38, v. 9—13).

[2]) Römel. l. a. 75 a. Koehler, Dissertation sur le monument de la reine Comosarye. Cf. Ritter, Vorhalle europäischer Völkergeschichten p. 217.

paeam[1]) oram paludis Maeotiae traduceret eosque Machlyes[2]) nominaret, adductum esse scriptorem his, quae apud Aelianum legerat, verbis [exstant nunc apud Suid.[3]) in verb. *δολιχεύω* (I p. 1039, c.)] *Διονύσιος τοὔνομα ἔμπορος τὸ ἐπιτήδευμα δολιχεύσας πολλάκις πολλοὺς πλοῦς τοῦ κέρδους ὑποθήγοντος καὶ πορρωτέρω τῆς Μαιώτιδος ἐκκουφίσας ὠνεῖτο κόρην Κολχίδα, ἣν ἐληΐσαντο Μάχλυες ἔθνος τῶν ἐκεῖ βαρβάρων*, conf. Suid. in v. *κούφη* (II p. 2174 d). Apparet verba *πορρωτέρω τῆς Μαιώτιδος* cum Porsono (Ael. ed. p. 943) vertenda: (navibus) ultra Maeotium lacum (productis), Machlyesque dici populum orientis Ponti Euxini orae, eundem, qui Machelones vocetur ab Arriano (Peripl. Pont. Eux. p. 11 apud Huds.). Is enim postquam Trapezuntiis vicinos esse dixit Colchos et Drillas (qui ei Sanni videntur esse), quos cum antea stipendiarii Romanis fuerint, tunc (suo tempore) latrociniis deditos solutionem tributorum neglegere, pergit: *τούτων δὲ ἔχονται Μαχελῶνες καὶ Ἡνίοχοι*; (cf. Anonymi, qui sua partim ex Arriano sumpsit, descript. Pont. Eux. III, p. 16 ap. Huds.). Hos autem populos piratas fuisse tradit etiam Strabo [XI, 2, §. 12, p. 496 (Kram. II, p. 435, v. 4, p. 436, v. 6)]. Ad quae argumenta accedit illud, quod ne verisimile quidem est, populos in Europaea ora paludis Maeotiae habitantes piraticae operam dare potuisse, quia litus Europaeum non satis navigabile erat[4]). Manifestum igitur est Machlyes Aeliani esse Machelones Arriani vicinos Heniochorum piratas; verisimile autem mihi videtur, quin etiam persuasum est, Toxaridis scriptorem aut in errorem loco Aeliani esse inductum, cum *πορρωτέρω τῆς Μαιώτιδος ἐκκουφίζειν* putaret significare, ulterius in paludem Maeotiam inna-

---

[1]) In Europaea ora habitare finguntur Machlyes, ut apparet cum ex tota narratione, tum praecipue ex cap. 52, neque audiendi qui perperam aliter existimant, cf. Forb. Pauly Reallex. VI, 1, p. 778, qui Mitraeos montes in Asia fuisse arbitratur.

[2]) Machlyes Libyae gens sunt (Herod. IV, 178); ex nomine autem alius Libyae gentis (IV, 168) Adyrmachidarum scriptor nomen Adyrmachi finxit, quod regi Machlyum dedit, et *Γίνδανες* ei ansam praebuerunt ad Scythen unum *Γυνδάνην* appellandum.

[3]) Ed. Gaisford. Oxon. 1834.

[4]) Neum. l. a. p. 533 seqq., 537, cf. Strabo VII, 4, §. 5, p. 310. (Kram. II, p. 39, v. 7—9 *οὗτος μὲν οὖν ὁ παράπλους ἔρημος πᾶς ὁ παρὰ τὴν Εὐρώπην, ὁ δ' ἐν δεξιᾷ οὐκ ἔρημος.*

vigare, aut ansam ei Aeliani verbis esse datam ad ista de Machlyibus comminiscenda. Atque iterum moneo, tenendum illud esse, nihil paene scriptorem ipsum expertum proferre, sed quae non plane fingat, ea ex aliorum libris sumere ita tamen, ut ea aut inscitia aut consulto detorqueat.

Quae cum ita sint, ne id quidem conici potest, scriptorem ante alteram quarti saeculi partem fuisse, quo tempore Bosporanorum regnum nondum exstinctum fuerit, nam fingere sua etiam cum id iam interisset potuit, neque verisimile est, eum si non multo post interitum regni Bosporani fuerit, quicquam de hac re cognovisse.

Neque ex commemoratis Alanis colligi potest, eum extremo tertio saeculo aut post hoc tempus fuisse; nam cum Alani a plerisque scriptoribus aut Scythae aut Scytharum (Asiaticorum) vicini esse dicantur, facile induci potuit, ut eos ad lacum Maeotium transferret, finitimosque Scythis Europaeis esse diceret eo tempore, quo in antiquis sedibus permanebant, praesertim cum auctorem huius erroris iam Iosephum haberet [1]. Dicit quidem Toxaridis scriptor quasi de Alanis certa sciat, ὁμοσκεύους eis et ὁμογλώττους Scythas esse [c. 51 (242, 29—30)], sed haec plane falsa sunt; nam Alani [2]) „proceri paene omnes erant et pulchri, crinibus mediocriter flavis, oculorum temperata torvitate terribiles", Scythae autem Mongoli [3]) neque proceri neque pulchri erant. Internosci tamen non potest, utrum erraverit quia Alani a Graecis et Romanis Scythae esse crederentur, ipse autem Scythas iam non cognoverit, an quia etiam Alanos non magis umquam quam Scythas viderit.

Denique investigari non potest Amastrine umquam ludi gladiatorii facti sint, quod nemo de hac re quicquam memoriae prodidit; neque hoc magnopere ad nostram quaestionem pertinet, cum ea, quae de Toxaride atque de Sisinne narrantur, aeque ficta sint ac reliqua. Mihi autem scriptor videtur ideo hanc potissimum urbem elegisse, in cuius portum Scythas quibus Athenas iter erat intrantes faceret, quod apud Lucianum (Alex. 57 in.) legati regis

---

[1]) Bell. Iud. VII, 7, §. 4. Amstelod. ed. Hovercamp. II, p. 421.

[2]) Ammian. Marcell. XXXI, 2, ed. Ernest. Lips. 1773 p. 509, v. 6.

[3]) Cf. Neum. l. a. 101—322, a quo tantum in parvis quibusdam rebus dissentio, quae in hanc quaestionem non cadunt.

Bosporani in Bithyniam proficiscentes ad Amastrim naves appellunt [nam non esse hanc urbem eis, qui ex Scythia Athenas petant, portum aditumque (*ἐν προσβολῇ* 57 in. p. 244 v. 38) tabulam geographicam inspicienti perspicuum est, neque credi potest, Scythas per Asiam Athenas proficisci solitos fuisse, sed verisimile est, eos per Pontum Euxinum, Bosporum Thracium, Propontidem Aegeumque mare Athenas navigasse]. Atque ea sententia, quam modo proposui, etiam eo mihi videtur confirmari, quod video Toxaridis scriptorem Lucianum auctorem secutum eodem modo, atque illum errare, cum enim Amastris Paphlagoniae urbs sit, is tamen (l. a.) dicit: *Κατέπλευσα εἰς Ἄμαστριν τὴν Ποντικήν* (quo patet significari urbem Ponti, ac non urbem ad Pontum Euxinum sitam), ut Lucianus errans scripsit [Alex. 25 (II, 80, 30)] *ἐμίσει δὲ τὴν Ἄμαστριν μάλιστα τῶν Ποντικῶν πόλεων,* ubi Ponticae terrae urbes significari *Ποντικαῖς πόλεσιν,* ex eiusdem (p. 80, 15) capitis verbis *ἀθέων ἐμπεπλῆσθαι καὶ Χριστιανῶν τὸν Πόντον* et ex initio c. 17 (p. 77, 30) apparet.

Perscrutandum iam est, num ludi gladiatorii ita describantur, ut conici possit, eos a scriptore spectatos esse; ita enim sequatur, ut post initium quinti saeculi non fuerit, quoniam post hoc tempus ne Romae quidem, ubi diutissime manebant, ludi gladiatorii facti sunt [1]). Atque primum id, quod de Sisinne narratur, fictum est; auctoraverunt se quidem liberi, sed ante diem ludorum, ut ad pugnas institui possent [2]), numquam autem per praeconem aliquis ex spectatoribus videtur provocatus esse, ut cum forti quodam gladiatore proposito magno non victoriae sed pugnae praemio certaret [3]): sed hoc consulto ita fingere scriptori licuit, neque ex hac re sola colligendum est, ludos ab eo numquam esse visos; accedit enim, quod Commodi certe aetate institutum erat, ut gladiatores simulatque in arenam intrarent, parvam pecuniam acciperent [4]), ita ut credi possit, scriptorem praesentem vidisse gladia-

---

[1]) Iust. Lipsius, Saturn. sermon. libri duo de glad. (Amstelod. 1685) I, c. 12, p. 49. Rhein. Mus. X, p. 476. Beck. u. Marq., Römische Alterth. IV, p. 566, not. 23.

[2]) Rhein. Mus. X, p. 559, not. 2, p. 560, not.

[3]) Quod a Caligula (Suet. 35) coactus est eques Proculus Esius ex spectatoribus mediis in arenam descendere atque pugnare, hoc tyranni libidine semel factum est, neque hoc exemplo ea, quae de Sisinne narrantur, probari possunt.

[4]) Dio Cass. LXXII, 19 (ed. Sturz. IV, p. 492, v. 15 seqq.).

toribus ante pugnam pecuniam dari et hoc ei ante oculos obversatum esse, cum pugnae praemium comminisceretur. Deinde dicitur Sisinnes pompam vidisse tribus diebus ante ludos, cum ipso ludorum die pompa esse soleret, — verum tamen hoc quoque ad narrationem apte componendam scriptori fingere licuit, praesertim cum etiam triumphantes imperatores nonnumquam gladiatores pompaliter ornati comitarentur [1]). Deinde quod in describendis ludis meridiani non commemorantur, neglegentia ei praetermissi esse possunt, aut quia non id agitur, ut ludi accurate describantur. Quod autem dicuntur bestiarii vincti bestiis obiecti esse, cum a nullo alio auctore id traditum sit [2]), me adduceret ut crederem, suis id oculis Toxaridis scriptorem vidisse, nisi hoc ipsum, quod nemo praeter eum huius rei mentionem facit, neque ulla erat causa, cur bestiarii vincirentur, faceret ut suspicarer, ludos ab eo non esse spectatos, sed eum, cum litteris didicisset, homines ludis gladiatoriis bestiis obiectos esse, in cogitationem esse adductum, eos vinctos fuisse, ne se defendere possent. Etiam aliae leves res in hac narratione insunt, quae suspicionem meam augent, neque Toxaridis scriptorem arbitror pro sua loquacitate, si ludos spectasset, non multis verbis eos descripturum fuisse. Quodetsi statuimus, ab eo ludos non spectatos esse, ex eo tamen nondum sequitur, ut multo post quartum saeculum fuerit. Iam enim a Constantino imperatore ludi gladiatorii interdicti erant, et postea Romae solum denuo Valentiniano iubente facti sunt [3]), ita ut nisi Romae erat scriptor, etiamsi quarto saeculo extremo fuisset, eos videre non potuisset.

Ex singulis igitur nihil non dico certum sed ne verisimile quidem investigari posse demonstratum est; at ex universis aliquid conici posse existimo. Rerum enim quae narrantur eae, quae non plane ineptae in aliquod tempus cadunt, aut quarto et praecedentibus saeculis, aut non multo post quartum evenisse possunt. Quamquam autem cogitare licet, consulto narrationes

---

[1]) Lips. l. a. II, 3, p. 83.

[2]) Neque ego apud alium scriptorem huius rei mentionem reperi, neque Friedlaenderus qui accuratissime de ludis gladiatoriis disseruit videtur reperisse, cum (Rhein. Mus. X, p. 570, not. 8) ex Toxaride tantum eius rei testimonium proferat.

[3]) Lips. l. a. I, 12, p. 49.

ita esse compositas, ut Luciani tempore ea quae proferuntur facta esse viderentur, non verisimile tamen est, futurum fuisse, ut homini tam stolido tamque neglegenti, qui multa inepte finxerit, qui tempora socorditer permiscuerit, si posterioribus imperatorum Byzantinorum temporibus (VII, VIII, IX saec.) fuisset, nihil ne nolenti quidem exciderit, in quo significatio posterioris aetatis reperiretur. Itaque etiam per ea, quae narrantur, conicere licet, T o x a r i d i s s c r i p t o r e m q u i n t o a u t e x t r e m o q u a r t o s a e c u l o f u i s s e.

Quae de Scythis inaudita et singularia traduntur ficta et commenticia esse.

> Es würde eine undankbare und vergebliche Arbeit sein, die geographischen Knoten auflösen zu wollen, die in diesem Geschichtchen liegen. Wieland. Tox. transl. c. 47 not. 32.

Priusquam autem ad id investigandum aggredior, fictane sint nec ne singularia atque inaudita quae de Scythis praesertim Bosporanis a Toxaridis scriptore tradantur, perscrutandum est, quos ille populos Scythas appellet. Atque primum notum est, eos, quos Herodotus (IV, 6) Scythicarum rerum vel peritissimus Graecorum Scythas vocet, qui se ipsi Scolotos dixerint, certum quendam fuisse populum, ab eisque qui Herodotum secuti sint Hippocrate et Ephoro unam et certam nationem Scythicam esse vocatam; Strabonem vero, cuius aetate reliquiae tantum Scytharum in antiquis sedibus vagabantur, omnes populos cis et trans Maeotiam paludem habitantes geographico, ut ita dicam, nomine Scythas vocasse [1]), ita tamen ut singulos populos internosceret. Quamquam igitur et Tauros et Sarmatas Scythas nominat, tamen Tauros atque Sarmatas non unum eundemque populum esse putat, sed diversos esse non ignorat. Et ita omnes qui post eum de illis populis scripserunt Latini et Graeci, nationes quas lingua et moribus diversas describunt communi geographico nomine Scythas appellant. Eos secutus Toxaridis scriptor pro indole sua ineptissima protulit; cum enim Tauros Taurorumque vicinos in

[1]) Cf. Neum. l. a. p. 106 seqq.

Chersonneso Taurica habitantes Scythas vocet, cumque Scythas esse dicat eos, qui in pristinis huius gentis sedibus iam erant Sarmatae et Roxolani aliique[1]), eos omnes unum eundemque populum vel potius, quantum ex eius verbis colligi possit, unum eundemque nomadum gregem esse existimat, quem *τὸ κοινὸν τῶν Σκυθῶν* appellat: cf. cc. 2—9, 39, 41 extr. 50 (p. 241, 24) *ἑβδόμην* .... septimo igitur die equo vehens ex Scythica terra Panticapaeum pervenit Lonchates; cf. praeterea c. 51 in. (242, 17) *καθ' ὁδὸν ἀκούσας τὰ ἐν Βοσπόρῳ γενόμενα*, quibus verbis absurdi aliquid inesse patet; quomodo enim fieri potuit, ut ex mediterranea Scythia [c. 52. 53 (243, 7 sqq.)] Lonchates prius in Bosporum perveniret et inde rediret, quam Macentes, qui simul cum eo equo vehens domo profectus erat, ad lacum Maeotium perveniret? praesertim cum hic rediens idem iter tribus diebus perficeret (c. 52 extr..... *ἀλλ' ἀποτραπόμενος εἰς τὴν μεσόγειαν ἐν δεξιᾷ λαβὼν τὰ Μιτραίων ὄρη διαναπαύων μεταξὺ τὴν παῖδα τριταῖος ἐτέλεσεν ἐκ Μαχλύων εἰς Σκύθας*); neque equidem investigare possum, per quam regionem montanam [c. 54 (243, 26) *διὰ τῆς ὀρεινῆς* ....] Machlyes irruperint in Scythiam, quae quamquam iter XIV dierum [cf. c. 50 (241, 24) cum c. 51 in. (242, 16—18)] in occidentem versus a palude Maeotia abesset, tamen tribus diebus inde rediri potuerit. Cum igitur Toxaridis scriptor diversos populos, quorum nullus Scythicus erat, confuderit unumque Scytharum gregem esse putaverit, sequitur primum, ut in hoc magno errore versatus ne si voluisset quidem, vera de Scythis tradere potuisset, deinde non solum ut nihil ipse expertus proferat, quod iam aliis argumentis supra demonstratum est, sed ut ne minime quidem scire curaverit, qui qualesque populi, qualibus moribus atque institutis usi sua aetate Chersonnesum Tauricam atque vicinas regiones habitarent.

Cum ergo Toxaridis scriptor de Scythis neque curaverit quicquam ipse cognoscere, neque si curasset cognoscere potuisset; perscrutandum iam est, num certa quaedam litteris aut fama discere potuerit. Atqui si litteris aut fama cognita statuimus ab

---

[1]) Ea quae Boeckh. (corp. inscr. II, p. 82 b) affert tantum hoc probant, Dionis Chrys. aetate nondum totam Scythicam nationem exstinctam fuisse, non vero demonstrant, Scythas etiamtum per totam pristinam patriam suam atque etiam trans Tanaim vagatos esse.

eo tradita esse ea, quae nemo eorum, quorum scripta exstent, post eum et ante memoriae prodiderit, duae tantum res cogitari possunt, aut litteras et famam illam eis, qui de Scythis tradiderint ea, quae scimus, non notas fuisse, aut notas quidem fuisse, sed ab eis minoris aestimatas, quam ut illas nugas memoriae proderent. Quorum utrumque nullo pacto verisimile est. Quae enim ante Herodotum de Scythis scripta aut fama cognita erant, Herodotus respexit, eiusque libri exstant: quae post Herodotum ipsi investigantes Hippocrates et Ephorus tradiderunt, partim etiamnunc exstant, universa integra Straboni sagaci illi et diligenti geographo nota erant; ineptum est igitur arbitrari latuisse quaedam, quae de Scythis comperta aut fama divulgata fuerint, prudentes et diligentes scriptores, non fugisse fatuum atque socordem. Atque ne illud quidem cogitare licet, minoris ea, quae in Toxaride tradantur, fecisse illos scriptores, quam ut ea memoriae proderent. Neque enim Herodotus, neque Strabo, quamquam prudentes erant, a fabulis narrandis abhorruerunt: non ergo Herodotus, qui quoscumque aliorum populorum deos esse cognovit, eos pares esse Graecorum dixit, eisque eadem nomina tribuit, de Oreste et Pylade a Scythis cultis non tradidisset, cum fabulas illas Graecorum colonorum narraret, Scythas ab Hercule esse oriundos[1]), cum non dubitaret, hoc quod a Chersonnensibus audivit, referre, Tauros ipsos dicere deam, cui sacra facerent, esse Iphigeniam[2]); neque Strabo, cum id ageret, ut demonstraret, esse quosdam nomades, Scythas, iustissimos hominum, etiamsi de Oreste et Pylade ab eis cultis fortasse non prodidisset, amicitiam ab eis maxime coli silentio praeteriisset, si quid de hac re fama et auditione accepisset. Sunt igitur in Toxaride traditae res a scriptore, qui multa inepte finxit, qui ea, quae recte cognoscere potuisset, si umquam ea scire curasset, aut inscitia aut socordia detorsit, qui de Scythis certa ipse cognoscere primum ideo non potuit, quia eius aetate Scythae paene exstincti erant, deinde quia credidit, diversos alios populos unum Scytharum gregem esse, qua vel una re satis significavit, se res illas ne minime quidem scire curasse; ea autem ab eo tradita sunt, quae viri diligentes, qui de Scythis scripserunt,

---

[1]) IV, 8—10.
[2]) IV, 103.

neque ignorare potuerunt, si fama tantum de eis ad Graecos pervenisset, neque neglexissent, si non ignorassent, tradita sunt, ut breviter omnia complectar, ab eo qui vera proferre neque voluit neque potuit, inaudita, singularia, quin etiam incredibilia et absurda, potestne igitur dubium esse, quin ficta et commenticia sint?

Ad haec accedit etiam illud, quo res nisi iam transacta esset, transigeretur, quod Scytharum morum, qui in Toxaride traduntur, eos, de quibus scriptorum fide dignorum testimoniis iudicari potest, ementitos aut inepte detortos esse apparet. Ita *ὁπλῖται* (c. 48 extr.) Scytharum absurdum scriptoris figmentum sunt, foedusque ille mos parentibus aut mortuis aut interfectis, cum iam senes essent, vescendi, si ullius gentis fuit, non erat Scytharum, quos Herodotus vocat. De Issedonibus is similia tradit (IV, 26), qui non sunt Scythae (IV, 13. 21—26), a Scythis autem mortuos sepeliri prodit (IV, 71—73), [cf. IV, 18 *μετὰ δὲ τὴν ἔρημον ἀνδροφάγοι οἰκέουσι, ἔθνος ἐὸν ἴδιον καὶ οὐδαμῶς Σκυθικόν*, et quae de eisdem dicuntur (IV, 106) *ἀνθρωποφαγέουσι μοῦνοι τούτων*, et quae de Massagetis traduntur (I, 216) *ἐπεὰν δὲ γέρων γένηται κάρτα* etc., et eiusdem capitis prima haec: *τὸ γὰρ Σκύθας φασὶν Ἕλληνες ποιέειν, οὐ Σκύθαι εἰσὶν οἱ ποιέοντες ἀλλὰ Μασσαγέται*] [1]).

De iureiurando autem Scytharum etiam Herodotus sed prudenter tradidit; at Toxaridis scriptor ea, quae de Iberorum regibus aliisque barbaris ad Pontum Euxinum habitantibus tradidit Tacitus, quaeque de Scythis prodidit Herodotus, ita permiscuit, ut inepta sint ea, quae narrat; quod manifestum erit omnibus, quibus Herod. IV, 70 atque Tacit. Annal. XII, 47 cum Tox. c. 37 conferre libebit.

Absurdum vero commentum est, Orestem et Pyladem a Scythis esse cultos eorumque veteres pictores facinora amicorum, suis scilicet oculis conspicatos depinxisse in templi parietibus cum

---

[1]) Posteriores plerique scriptores cum, ut iam supra commemoravi, diversos populos communi geographico nomine Scytharum vocarent, ea, quae de aliis populis prodita erant, Scytharum esse tradiderunt; attamen non existimaverunt, illorum Scytharum ea esse, quos Herodotus singularem gentem esse affirmavit; nonnulli autem neglegentiores [ut Lucianus Dial. Deor. XVI, 1 (109, 27—28) et qui eum imitatus est Toxaridis scriptor] etiam Herodoti Scythis ea tribuerunt.

Graeci septimi aut sexti demum saeculi ante Chr. nat. sedem illius fabulae a Lemno insula in Chersonnesum ad Tauros transtulerint [1]); cui tamen hoc figmentum non ineptum videtur, is legat acuti illius Russi opus [2]), ex quo haec tantum affero: le même peuple inhumain envers les étrangers est touché des douceurs de l'amitié en respecte les liens et consacre les devoirs (lib. I, c. 38, p. 62) .... ils canonisèrent ce couple d'amis sous le nom de *Corates* ou patrons d'amitié .... les arts prirent le soin de transmettre à la postérité le recit des évènements .... on en peignit les principaux traits sur les murs (lib. I, c. 38, p. 63). Ces peintures à fresque subsistaient encore du temps de Lucien .... (lib. I, c. 40, p. 64). Les temples de l'amour ne sont pas entièrement détruits, le temple de l'amitié n'existe plus, ou du moins l'édifice qui mérite ce nom par dessus tous les autres, l'Orestéon a subi l'inflexible loi du temps etc. etc.

(L. I, c. 40, p. 65.) Les Scythes adoptèrent les mêmes maximes, ils nommèrent l'amitié la première de toutes les vertus .... ils regardaient le temple d'Orestéon comme la meilleure école pour leurs enfans. Ils les y envoyaient dans l'âge, ou les premières impressions décident presque toujours du reste de la vie etc. etc.

Quid? ridetis qui legitis de operibus illis tectoriis, quae Luciani etiam aetate exstabant, de amicitiae academia Scytharum in Taurica terra? — non transscripsissem haec, nisi multo prudentiores viri, quam ille Russus erat, Toxaridis scriptorem ut fide dignum auctorem secuti essent.

Porro supplicandi mos quidam Scytharum in Toxaride (c. 48) describitur, atque etiam apud Suidam [3]), et in appendicibus ad Zenobii proverbia et apud Mich. Apostolium similia traduntur; cum autem haec conferenti dubium esse nequeat, quin ex Toxaride Suidas sua sumpserit, ex Suida ea a nescio quo ad verbum paene in appendices Zenobii transscripta, a Mich. Apostolio autem paullo mutata inter proverbia sua inserta sint, nullum ex his peti

---

[1]) Cf. Neum. l. a. p. 372—373, 424—437, scriptoresque, quos is commemorat.

[2]) Siestrzencewicz de Bohusz archiepisc. Mohilev.: Histoire du royaume de la Chersonèse Taurique seconde edition revue St. Petersbourg 1824.

[3]) I, 1347. C. et D. ἐπὶ θύρσης ἐκαθέζετο.

potest argumentum ad probandum, morem illum re vera Scytharum fuisse. Atque mihi quidem persuasum est, etiam hunc morem alius cuiusdam populi inepte detortum a scriptore Scythis attributum esse[1]); doleo autem, quod cum in commentariis Bipont. ed. Lucian. annotatum sit, Cognatum affirmare, se similem Homolottorum morem apud Zenodotum legisse, nec locum Zenodoti nec omnino, qui sint Homolotti, invenire potui. Inepte igitur detorta esse ea, quae de Scytharum supplicandi more proferantur, arbitror, primum quod non verisimile est, singulorum hominum causa totum Scytharum populum ad arma concitari solitum esse, deinde cum complures greges Scytharum diversi vagari solerent, in eos qui nulla inter se bella gerebant, mos ille non quadrat, quem Toxaridis scriptor unam fuisse Scytharum civitatem ratus enarravit; si quis autem adversus externos hostes ducturus ita, ut in Toxaride traditum est, auxilium populi implorare voluisset, quam diu ei in pelle sedendum erat, dum diversi greges cognoscerent, eum opem ab eis petere? neque ea re quod Arsacomas ille septem dies manibus in tergum retortis sedere toleravit probatur, etiam alios homines hoc tormentum tam diu perferre potuisse.

Ut iam ad morem *Ζίριν* clamandi examinandum transeam, notum est, usitata esse inter populos belligerantes voces signaque, quibus internuntii iam procul significent, se ut de aliqua re paciscantur pacatos venire, neque negandum, morem similem etiam Scythis Sarmatisque, finitimis populis, esse potuisse; sed etiamsi concedimus, quod vix statuendum sit, a Sarmatis Scythisque captivos redimi solitos esse, hoc credi non potest, propriam vocem fuisse, qua legati se ad captivos redimendos venire procul significaverint.

Acinaci autem, s i g n o Martis, sacrificia facta esse a Scythis tradit Herodotus (IV, 62) eique fides tribuenda est, neque audiendi sunt ei, qui opinor ex eo, quod hic prodidit, illud finxerunt, Scythas acinacem deum esse credidisse. Porro eos per acinacem iuravisse credi potest, quamquam Toxaridis scriptor id ex nullo

---

[1]) Conferri possunt quae de Germanorum comitatibus nota traduntur; etiam id, quod singuli centum milites praebuisse dicuntur, magis in Germanos veteres quam in Scythas cadit.

alio fonte hausisse videtur, quam ex Luc. Scyth. c. 4 (I, 17, 33—34) *πρὸς ἀκινάκου καὶ Ζαμόλξιδος τῶν πατρῴων ἡμῖν θεῶν,* [cf. Iup. trag. 42 (151, 36)]; sacrificasse autem eos patet Martis signo, acinaci, ideo, quod eo hostes in pugna occidere, non vero, ut Toxaridis scriptor, alucinatur, quod se ipsi acinace interficere possent. — Deinde quod Toxaris dicit, magnum humanum bonum mortem esse, Graecorum atque Romanorum magis quam Scytharum esse apparet; significare enim scriptorem velle perspicuum est, mortem esse bonum, quia morte turpis vita aut finiri aut praecaveri possit. — Tum in verbis *ὡς τὸν μὲν ἄνεμον ζωῆς αἴτιον ὄντα* stolide detortas posteriorum poëtarum et philosophorum argutias deprehendere mihi videor, atque inter multa inepta haec apta attulit Iacobus Orph. Hymn. XXXVIII, 22 *πνοὰς ψυχοτρόφους*[1]), Pallad. (Epigr. 123) *αὔρας ζωογόνους*; natura (natürliche Anschauung) enim adducti sunt homines, ut cum mortuos iam non spirare viderent, animam (Hauch, Odem, spiritum, *ψυχήν*) non animi altricem animantiumque genetricem, sed indicium vitae vitamque esse existimarent; Toxaridis autem scriptor suo more inepte auris vitalibus ventum substituit deumque Scytharum dixit; ventum enim Scythae, si eum esse deum credidissent, cum navigationi operam non darent, venerati essent, ut iram eius averterent; nam venti in illis regionibus, quas habitabant Scythae, nostra aetate exitiosi saepe hominibus atque pecori sunt, atque eos iam antiquis temporibus non raro graves fuisse arbitrandum est.

Ζίριν etiam ipsum vocabulum et *κοράκους* ficta esse credo, vel potius nulla sententiae ratione habita existimo electas barbaras alicuius gentis voces paulloque commutatas esse[2]). Cur autem has potissimum elegerit scriptor coniectura quidem inveniri potest; cum vero in coniectura capienda ingenium scriptoris respicere oporteat, nihil aliud fieri potest, quam ut inepta coniectentur, quae proferre supervacaneum est: rectius tamen putaveris, ad *Ζίριν* vocem eligendam motum scriptorem esse Ho-

---

[1]) Anthol. Palat. X, 75. Cf. Lobeck. Aglaoph. l. II, c. XVII, §. 2, tom. I, p. 758, v. 4 seqq.

[2]) Cf. *ζεῖρα*, *Ζιρίδαυα* (Daciae urbs), *Ζειρινία* (Thraciae urbs), Ziras (flumen Moesiae inferioris).

Κόραξ (promontorium Chersonnesi Tauricae flumenque Colchicum), *Κοραξοί* (Caucasi sive Colchidis populus).

merico illo verbo ζώγρει (cf. ζωγρία) quam cum Baiero [1]) statueris, derivandam eam esse a Ζῆν verbo, quod apud septentrionales quosdam populos magnum virum significet; nam in hac tota etymologia, si vocem sententiamque respicis, nihil nisi communem Z litteram invenis. Κοχάνους verbum autem, quod La Croze credo coniecit, silentio praetermitterem, nisi viderem etiam a Bekkero hoc vocabulum in marginem editionis suae esse receptum; primum igitur *kochany* Polona et non Scythica vox est; deinde per multa saecula sermo Polonus, ut alii magnas habuit commutationes, ita ut credendum sit, vocabulum quod nunc *kochany* enuntietur aliter antiquis temporibus sonuisse; denique *kochany*, partipicium perf. pass. *kochać* verbi, est *amatus*, *amicus* autem est *przyjaciel* (derivatum a *sprzyjać* verbo, quod significat bene cupere) et φίλιος *przyjacielski*.

Neque nomina Scytharum, quae in Toxaride commemorantur, videntur Scythica esse. Atque de nominibus, quae sunt Γυνδάνης et Ἀδύρμαχος supra (p. 92, not. 2) dictum est; Dandamis autem Indum est nomen; Arsacomas a Persico Arsace [2]), Sisinnes a Persico Sisine fictum videtur; similiter addita ν littera ex verbo „Μακέτης“ (Macedo) fit Μακέντης; Λογχάτης a verbo „λόγχη“ videtur fictum esse [3]): de ceteris nominibus nihil investigare potui. Illud tantum moneo, non posse existimari, Persica nomina Sisinnae atque Arsacomae apud Scythas usitata fuisse ex eo tempore, quo regnum Persarum tenuerint (640—607); nam etiamsi statuimus Scythas, qui in Europam migraverint, Cimmerios persecutos in Asiam pervenisse, deinde revertisse, nominaque Persica ab eis cum in Asia essent usurpata esse, tamen cum Graeci barbaras voces ita mutare solerent, ut eae vix agnoscerentur, fierique non posset, quin etiam Scythae voces Persicas corrupte enuntiarent, quis credere potest, miro quodam casu factum esse, ut varie a Graecis et Scythis corrupta Persica vocabula simillima sint?

---

[1]) Baieri opusc. ed. Klotz p. 264, quem Iacob. attulit.

[2]) Est etiam Sarmaticum nomen Arsakas, cf. Neum. l. a. p. 175; nomina Scythica, quae ab eo afferuntur satis ab eis discrepant, quae in Toxaride exstant.

[3]) Bosporanarum feminarum nomina Μαζαία et Μάστειρα an non casu a vocibus quae sunt Μαζός et Μαστός ficta esse videantur dubium mihi est.

Iam non alienum esse puto in extremo opere demonstrare, non congruere ea, quae de Scythis in Toxaride tradantur, cum opinione, quae de eis inter Graecos et Romanos fuerit, praesertim cum vir ille acutissimus C. Fr. Hermannus hunc consensum esse affirmaverit Iacobumque vituperaverit, quod de hac re non admonuit. Multa non satis apta protulit Iacobus, reprehendi autem eum, quod inepti aliquid omiserit, iniquum est. Sed audiamus quae Hermannus de hac re dicat; sunt enim eius verba haec fere[1]: „Aus der romanhaften Idealisirung der Scythen in der gemeinen Ansicht Griechenlands, die namentlich Strabo bezeugt (VII, 3, §. 7, p. 301 Kram. II, p. 22, v. 21) *αὕτη δὲ ἡ ὑπόληψις καὶ νῦν ἔτι συμμένει παρὰ τοῖς Ἕλλησιν, ἁπλουστάτους τε γὰρ αὐτοὺς νομίζομεν καὶ ἥκιστα κακεντρεχεῖς εὐτελεστέρους τε πολὺ ἡμῶν καὶ αὐταρκεστέρους* (Scymn. Chius. 819, Luc. Phars. VII, 835[2]), ergiebt sich der Charakter der scythischen Erzählungen; sie verhalten sich zu den griechischen, wie die heroische Tragödie zum bürgerlichen Trauerspiele.“ Quam haec plena erroris sunt! Quid enim? si qui dicuntur simplicissimi et minime malitiosi esse, ex eo sequitur, ut heroes sint? aut heroes qui sunt etiam simplicitate et probitate excellunt? Qui erant Homeri heroes? Graeci nempe et Troiani; at qui iustissimi hominum ab eo dicuntur? *ἱππημολγοὶ γλακτοφάγοι Ἄβιοί τε* (Il. XIII, 5—6); nonne igitur patet, etiam heroicis illis temporibus, quibus fraudare, caedem committere nondum tam turpe esse putabatur quam posteriore aetate, tamen iustissimos hominum eos, qui haec admitterent heroes, non esse creditos, sed simplices illos *γλακτοφάγους* et *Ἀβίους*? Scythas autem amicos iustissimos viros, ut amicis gratificentur caedem et fraudem committentes Toxaridis scriptor facit! At ne quis dicat, posteris temporibus Scythas creditos esse fortissimos et dolosos, ut heroes illos Homeri, et tamen nihilominus iustissimos, audiamus scriptores posterorum temporum et Graecos et Romanos. Scymnus Chius[3]) igitur eos dicit

(ἔθνη) εὐσεβῆ πάνυ

---

[1]) Gesammelte Abhandlungen und Beiträge zur classischen Litteratur v. C. Fr. Hermann, Goetting. 1849, p. 211 seqq.

[2]) Hic locus nihil probat.

[3]) Scymn. Ch. ed. Meineke, Berlin. 1846, p. 122, v. 812—813.

ὧν οὐδὲ εἷς ἔμψυχον ἀδικήσαι ποτ᾽ ἄν,

Straboque ei assentiens (VII, 3, §. 9, p. 302, Kram. II, 25) haec ex Ephoro profert: φησὶν εἶναι τῶν τε ἄλλων Σκυθῶν καὶ τῶν Σαυροματῶν τοὺς βίους ἀνομοίους, τοὺς μὲν γὰρ εἶναι χαλεποὺς ὥστε καὶ ἀνθρωποφαγεῖν, τοὺς δὲ καὶ τῶν ἄλλων ζῴων ἀπέχεσθαι, cf. quae sequuntur; Neum. l. a. p. 318, et quae ex Phylarcho affert (ἡ ἐκ τῆς φαρέτρας) p. 222. Iustinus[1]) autem haec de Scythis prodidit: Iustitia gentis ingeniis culta non legibus, nullum scelus apud eos furto gravius ... atque utinam reliquis mortalibus similis moderatio esset, ... profecto non tantum bellorum per omnia saecula terris omnibus continuaretur; cf. praeterea Horat. l. III, od. 24. Lucian. Anach. c. 11 et c. 40 (II, 304, 8—10) οἵγε οὐδὲ κατὰ κόρρης παταχθῆναι τολμήσαιμεν ἂν μίαν πληγήν, δειλοὶ γάρ ἐσμεν, cum his, quae in Toxaride leguntur 36 (236, 21) παρ᾽ ἡμῖν δὲ συνεχεῖς οἱ πόλεμοι ... Ex his ergo quae attuli veterum testimoniis apparet, non ut a Toxaridis scriptore a ceteris Graecis et Romanis esse creditos nomades Scythas fortes et bellicosos heroes, iustissimos eosdemque fraudulentos et sicarios esse; respicienti autem ea, quae Strabonis loco ab Hermanno allato praecedunt atque sequuntur, perspicuum est, Strabonem affirmare, Scytharum illorum, qui bellicosi atque latrociniis assueti fuerint, mores corruptos fuisse exemplo finitimorum Graecorum, pristinis vero virtutibus praeditos nomades in remotissima terra habitasse. Suis autem Scythis Toxaridis scriptor ea tribuit, quae de diversis populis traduntur; sunt igitur maxime pii, etiamsi patribus vescuntur (c. 8 extr.), iustissimi, etiamsi fraudant, latrocinantur (c. 49), caedes ex insidiis faciunt.

---

[1]) Libr. II, c. 2.